DE CAVSSIS MORTIS IN VVLNERIBVS CAPITIS,

Et recta eorum curatione

IOANNIS PETRI PASSERI BERGOMATIS

Liber.

In quo ad mentem Hippocratis potiſsimum de Perforatione, & abraſione, in Cranei læſionibus non ſatis apparentibus agitur.

Ad Perilluſtrem, & Reuerendiſſ. D.D. Hieronymum Ragazzonum, Bergomi Epiſcopum religioſiſſ. & Comitem, ac Sanctiſſ. D.N. Papæ Aſſiſtentem.



Ex auctoritate Superiorum.

BERGOMI, Typis Comini Venturæ. 1590.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30761566

ADMODVM ILLVSTRImo
AC R. D. D.
HIERONYMO RAGAZZONO

Bergomi Epõ religioſiſſimo

ac Co. et

SS. D. N. PAPAE ASSISTENTI.

IO. PETRVS PASSERVS
fælicitatem.

EDituro libellum hunc, in quo de recta Vulnerum capitis curatione, pro ingenij mei tenuitate, breuiter ago, cuinam illum dicarem, vt auguſti alicuius nomine illuſtris patrocinio firmatus in lucem tutus exiret, non fuit difficile reperire. ſiue n.

erat auctoritatis amplitudo quærenda, ſiue excellens quædam maximarum artium cognitio, ſiue illuſtris perfectæ & abſolutæ virtutis præſtantia, quemnam Tibi dignitate maximo, doctrina, & eloquentia ſingulari, atque ijs virtutibus cumulatiſsime inſtructo, quæ in iſtam, quam honorifice adeo ſuſtines, Epiſcopi perſonam cadunt, præferre iure vmquam potuiſſem? Nimium facerem imprudenter, ſi de Te, tuisq animi atque ingenij admirabiliter bonis verba facerem. Clarior eſt.n. iſta dignitas, quam vt à me poſsit orationis luminibus illuſtrari: & excelſo in loco collocata Tua virtus cum multiplici rerum ſcientia coniuncta, hominum oculos latere non poteſt. nec quiſquam vmquam futurus eſt ita hebes ad iudicandum, qui non & Te optime omnium tueri poſse, quæ Tuæ tutelæ traduntur, exiſtimet; & me iudicij ſumma dignum laude, vel hoc vno nomine, quod Tibi meum hoc opus inſcripſerim, non arbitretur. Reliquum eſt igitur, quod vnus maxime potes, idipſum

etiam

etiã, vt velis, patiariſq. ſub Tui nominis præſidio prodire libellum hunc in hominum aſpectum: vt qui ſuis ſe defendere viribus non poteſt, Tua ſe poßit auctoritate tutari: id quod mihi non tua modo humanitas, cui toto par in orbe reperiri non poteſt, vltro ita defert, vt nullum omnino precibus locum relinquat; ſed ipſa etiam poſtulationis æquitas explorate permittit. quamuis.n. res, de qua hic agitur, cum iſta parum congruere perſona videatur, officio Tu tamen & laudabili & Teipſo digno fungeris, ſi quæ patrocinio egent, ea Tibi commendata Tua auctoritate defendas: præſertim ſi illa ſint huiuſmodi, quæ iuuare rem hominum poßint, & aliquid in commune bonum conferre: id quod ego in hoc opere ſi aſſecutus non ſum, certe ſum ita ſecutus, vt ne minimum quidem oculos ab hac vna cogitatione deflexerim. Sed hoc impetrare ipſe cupio, non quia æquum ſit, quod poſtulatur; ſed quia à liberalißimo Principe poſtulatur; atque vt Tuum in me maius beneficium

ex-

exſiſtat, hic vnius tuæ rationem haberi nolo humanitatis. cui quidem humanitati ſi minus externis ſignificationibus, certe intimo animi ſenſu, & ſingulari obſeruantiæ genere perpetuo reſpondebo. Interim Te Deus Opt. Max. Eccleſiæ noſtræ diu ſuperſtitem ſeruet, & omnibus gratiæ ſuæ ornamentis, magis, ac magis, in dies cumulatum reddat, atque florentem.

LECTORI
BENEVOLO.

SI qua ars præſtantem & diligentem requirit artificem, ea profecto, meo & omnium iudicio, Medicina fuerit. Nulla enim maiori cum damno & iactura, præſertim ab imperito & ignauo, exercetur. Siquidem circa corpus humanũ inter omnia nobiliſsimum verſatur Medicus. Quod vbi ſemel mutilatum, aut neci datum eſt ab aliquo imperito, nõ amplius ope humana reſarciri, aut reuiuiſcere poteſt. Hoc ſemper cogito; hoc menti iamdudum inſedit meæ: & proinde nil vmquam antiquius habui, quam vt perfecte Chirurgicam artem pro ingenij mei viribus perfecte addiſcerem, & quoad eius fieri poteſt innoxie exercerem. qua in re nihil æque me anxium aliquando habuit, ac frequentes mortes eorum, qui apud nos capite icti forent. Quocirca iamdiu rem diſquirere, & inueſtigare diligenter ſum aggreſſus. Cumque non modo cauſſas, ſed etiam remedia quæ me inueniſſe ſperaueram, cum amicis viris eruditis contuliſſem, factum eſt eorum hortatu, & fere impulſu, vt ea qualiacunque ſint, Reipub. iuuandi gratia euulgare decreuerim. Nam etiam ſi fortaſſe ſcopum attigiſſe alicui non videbor; at certe in eo ſaltem damnandus non ero, quod alijs veriora, certioraque, & meliora inueniendi, et in medium adducendi occaſionem præbuero; paratus ſemper in eius tranſire ſententiam, qui abſque liuore mihi veriorem monſtrarit. Interim, Benigne Lector, hæc quæcunque ſint, inſpecta tantum Auctoris animi ſinceritate, & conatu, æqui, boniq. conſules.

Auctores, quorum opera in hoc opuſculo conflando vſi ſumus.

AEtius.
Albucaſis.
Alphonſus Ferius.
Aluarus Nonius.
Amatus Luſitanus.
Ambroſius Pareus.
Andreas Cruceus.
Veſalius.
Antonius Calmetheus.
Aretheus.
Archigenes.
Auenzoar.
Auicennas.
Bartholomæus Magius.
Claudius Galenus.
Cornarius.
Cornelius Celſus.
Dinus Florentinus.
Franciſcus Arceus.
Valeriola.
Valeſius.
Vertunianus.
Gabriel Fallopius.
Guido Gauliacus.
Guilielmus Placentinus.
Haly Abbas.
Hippocrates.
Hieronymus Cardanus.
Fabricius Aquæpen.
Mercurialis.
Montuus.
Horatius Morus Florent.
Iacobus Carpenſis.
Hollerius.
Vuecherus.
Io. Baptiſta Carcanus.
Zapata.
Ioannes Fernelius.
Vigonius.
Iulius Cæſar Arantius.
Leonardus Bertapallia.
Botallus.
Ludouicus Vaſæus.
Marianus S. Barolitanus.
Marcus Tullius Cicero.
Nicolaus Florentinus.
Maſſa.
Ouidius.
Paullus Aegineta.
Iuliarius.
Lantius.
Petrus Argelata.
Martyr Tronus.
Raſis.
Realdus Columbus.
Rolandus.
Soranus Epheſius.
Vidus Vidius.

FINIS.

DE CAVSSIS MORTIS IN VVLNERIBVS CAPITIS,

Et recta Cranei læſionum curatione.

Procemium.

CVM Cerebrum membrum præſtantiſſimum Natura prudens pro ratiocinatricis animæ domicilio condidiſſet, vnde ſenſum & motum corpori vniuerſo impartiretur : iure etiam optimo id ab omni externa iniuria quantum fieri potuit conſeruare ſtuduit, pilis primum, cute craſſiſſima, deinde pinguedine, & carnea membrana, ac pericraneo, poſtremo oſſeo tegumento, quod cranion Græci, Latini caluam ſiue caluariam appellant, circumſepiens, & tegens. Ceterum cum ſæpiſſime accidant offenſæ, ictusq. adeo validi, vt his reſiſtere non valeant, craneumq. ipſum fracturam modo apparentem, modo latentem vitam in diſcrimen adducentem promtius admittat & pa-

tiatur, à qua potiſſimum vbique, & maxime in hac vrbe adeò facile occumbant, vt vix ſanari poſſe videantur; neque eiuſmodi læſiones aliquando vllo modo vitari impediriq. poſsint: factum eſt, vt multorum ingenia pro his curandis inſudarint, inter quos principem locum ſine controuerſia obtinuit Hippocrates, qui ferro, medicamentis, & victu tenui eos curare docuit. hunc Celſus, Galenus, Paullus, multiq. alij grauiſsimi, & illuſtres viri ſunt ſecuti. Quemadmodum verò Hipp. longe omnium diligentiſsimus, nullis parcens laboribus ad ſolam mortalium ſalutem præ alijs optimam curandi methodum adinuenit, & inſtituit: ita quidam alij ſimul & labori parcẽtes, & pecuniæ inhiantes magis, quàm ſaluti hominum attendentes, ab illo optimo, veteriq. medendi inſtituto admodum declinarunt & receſſerunt. Cumq. hi principia artisq. vera fundamenta penitus, toto (vt aiunt) aberrantes cælo, ignorarent; in varias & omnino à veritate aborrentes opiniones deuenere. Siquidem ex his aliqui voluerunt in hac tantum, vel illa læſionis cranei ſpecie contra Hippoc. inſtitutum ferro vtendum; alij etiam ad incantamenta, ſuperſtitioſasq. obſecrationes, pulmenta, emplaſtra, ac victum craſſum declinarunt. Quarum ſententiarum, & curandi rationum diuerſitas ad incertum propoſitarum læſionum euentum ma-

ximam attulere occaſionem: magnam proculdubio in curando difficultatem effecere. quandoquidem non non adhuc ſatis apud quoſdam, non ſolum de operationibus in craneo exercendis, ſed neque de medicamentis cuti vulneratę applicandis conſtare videtur. Quocirca operepretium mihi videbar eſſe facturus, ſi, vel poſtremus omnium ipſe quoque de huiuſmodi rebus loquerer: tametſi certò ſciam me non facilem ſanè prouinciam aggredi, ſi cauſas cur multi adeo mortales ex capitis vulneribus præſertim Bergomi intercant, & pro cauendis tot mortibus rectum curandi modum tradere adnitar. res certò ardua eſt & perdifficilis, vtpote a ſenſibus remota, quæq. verè multos grauiſsimos viros diu torſit, & fatigauit. ingenij autem mei acies imbecilla, exiguaq. admodum eſt; nec otij tantum à facienda medicina ſupereſt, vt omnia exactè inueſtigare, explicareq. valeam. Vicere tamen amicorum adhortationes, & reipublicæ iuuãdæ deſiderium. proindeq. omnes difficultates ſuperare tẽtaui, ſatiusq. eſſe duxi nimium audentis notam ſubire, q̃ laborem, quo alij iuuari poſsint, ſubterfugere. vel ob id quoque libentius aggreſſus ſum hanc prouintiam, vt quoad poſſem nobiliſsimam hanc, neceſſariamq. artem, artificesq. ipſos à calumnijs rudium, aut maleuolorum hominum, nonnihil vindicarem, qui infelices euentus

non in morbum, non in aeris qualitatem, non in vulnerati, aut aſtantium errores, non etiam ea, quæ caſu ſuperuenire poſſunt, impedimenta non parua, aut pauca; ſed in Medicorum ſemper imperitiam, aut negligentiam, & auaritiam, reijciunt. exiſtimaui etiam fore, vt ex his qualibuſcunq; meis lucubrationibus alij fælicioris forte ingenij excitari poſſent ad id, quod aggredimur, facilius inueniendum, exactiusq. tradendum, finemq. illum attingendum, quem ipſe neſcio an omnino potuerim aſſequi. totis pariter viribus inſudaui, vt quorundam imperitia, quam malum theſaurum appellat Hippoc. diſcuteretur. qua quoad fieri poteſt ſublata, & ſi vitilitigatorum linguam Chirurgus euitare non poßit, Deo etiam iuſto omnium actionum malarum vindici omnia relinquat; eumq. quotidie deprecabitur, vt benignitate ſua artem, ad quam nos vocauit, inculpate exercere doceat: ſiquidem artes non hominum, ſed vt diuinus Hippocr. dicebat, Deorum dona ſunt.

CAP. I.

*VIdimus ſuperioribus annis vul-
neratos in capite facile admodum
non ſolum ab offenſis magnis, ſed
etiam ab inciſionibus paruis, &
vulneribus Bergomi plerunque
interire, contra quàm ante 20.
vel 30. annos fieri ſoleret, vt multi affirmant: ſed
promte vulneratos in capite interire huius Ciuitatis
proprium non videtur, quando non deſunt vrbes aliæ,
quibus hoc idem accidere intelligimus: inter quas Car
pus numerat Florentiam, & Bononiam: addit Fallo-
pius Neapolim, & Vicetiam; Cardanus, & Carca-* 6. Aph. 18
*nus, Mediolanum. Cardanus primum inquit: Ferra-
riæ induſtria, ac diligentia Medicorum euaderent
etiam pręciſo cerebro, apud nos neque membranis vul
neratis, immo nec oſſe quidem capitis, prorſus res incre
dibilis, fere omnes pereunt. In quibus verbis videtur
Cardanus id propter Mediolanenſium Medicorum
imperitiam accidere voluiſſe: quoniam alibi etiam di-
xit: Mediolani Vulnera crurum difficile curantur; ca-* 6 Aph. 56
*pitis contra, facilius, quod aer ſit craßior. Sed in Me-
diolanenſium Medicorum imperitiam, præcipue nunc
viuentium, hoc reijcere non debemus. optime.n. noui*

Me-

Medicos Mediolanenſes, vt in alijs medicinæ partibus, ita quoque in hac nemini ſecundos. quare hoc in ea vrbe accidere propter relatam cauſam, nequaquam credendum arbitror: quamuis Carcanus in eo libro Lib. 1. lect. 1. *quam nuper de Capitis vulneribus compoſuit, hoc etiã nunc in ea vrbe accidere ſcribat, dicens: Hæc vulnera noſtris temporibus, atque in noſtra patria præſertim, lætalia adeo videntur, vt multi ex capitis vulnere, quamuis minimo, ex hac vita decedere ſoleant. ſed quando hoc Mediolani accidere inceperit non conſtat. Nõ ergo ſola Bergomi patria id patitur, ſed aliæ etiã, in quibus non adeo tenuis aer, vt Bergomi, nec ignari Medici, reperiuntur, ad quas cauſſas huiuſmodi euentum vulgus reducere ſolet. Sed inconſtantes modo, Medicorum imperitiam, modo aeris tenuitatem accuſant: Medici verò quidam ſolam aeris tenuitatem culpare apud nos ſolent.*

CAP. II.

SED vt hinc incipiam quod plures noſtra, quam ſuperiori ætate moriantur, non ita facilè ipſe concederem: quin potius contrarium me poſſe oſtendere forte putarim, plures videlicet noſtra quàm ſuperiori ætate à capitis

pitis vulneribus euadere. An vero frequentis huius tam ſuperioris, q̃ præſentis ætatis in capitis vulneribus interitus cauſſa ſit aeris qualitas, vel Medicorum imperitia, vel aliqua alia, aſſeri non facilè videtur. Quare veritatem inuenire cupientes cauſſas, à quibus interitus ſuccedere poteſt, enumerabimus, à communibus primum facto initio, mox ad proprias accedentes. ita.n. omnibus cauſsis ante Medici oculos poſitis, verior facilè fortaſſe apparebit. Et quamuis cauſſæ malum hoc producere valentes ad multa capita reduci poſſint; maioris tamen breuitatis gratia, ad has reducere voluimus, partis.ſ. læſæ præſtantiam, prauorum ſuccorum abundantiam, præceptorum Medici neglectum, aeris qualitatem, & imperitiam medicantis.

CAP. III.

PArtis læſæ præſtantia tantum poteſt, vt Hippocrates; vel alius quiſquis ille fuerit certe nullo modo contemnendus auctor, nullum capitis vulnus leuiter contemnendum eſſe dixerit, nec immeritò, quia, vt experientia clarum fecit, ad ſolam cutis diſruptionem, & contuſionem, non raròinteritus ſequi viſus

Casus – ſus eſt. Bergomi Nobilis cauſidicus D.Nicolaus de Curte regia ætatis annorum viginti octo, in dorſum cadēs, caput illiſit in angulum clynopodij, cutis fracta eſt in regione ſuturæ labdoidis: nec primis diebus aliud quod metum inferre poſſet ſuperuenit: ſeptima die os ſtomachi dolere cæpit: octaua febris corripuit, nec remiſit: vndecima rigores ſuperuenerunt: decima ſeptima mortuus eſt, tametſi vulnus ad pericraneū nō
Cams – pertingeret. Clerico cuidam filio fabri lignarij baculo percuſſo in regione ſagittalis ſuturæ, cutis leuiter fracta eſt: vſque ad decimum ſeptimum diem bene viſus eſt habuiſſe, mox febris ſuperuenit, quam rigores, deinde paralyſis partis oppoſitæ, exceperunt: vigeſimo ſecundo die obijt. ablato craneo apoſtema nullum inuentum in cadaueris cerebro, aut membranis: venę tantum craſſam meningem permeantes magis quam par
Casus – eſſet ſanguine turgidæ apparuerunt. Iuuenis quidam Barzizius annorum 20. in capite punctus à bubulco mucrone ſtimuli, quo boues vrgere ſolebat: vix fracta eſt cutis: nil verendum apparuit: ſeptima die febris ſuperuenit cum magno totius capitis dolore; quem delirium ſequutum eſt; & tandem decimaquinta tranſacta interitus. Horum oculatum teſtem habuimus diligentem, & acris iudicij Chirurgum Hieronymum Algiſium. Ex quibus caſibus apparet leue capitis vul

ægro-

nus interitum adferre poſſe. neque hoc alicui mirum videri debet, nam fieri poteſt, vt in duobus primis ægrotis in regione ſuturæ, vel in parte aliqua, vbi vas aliquod, ſiue vena, ſiue arteria, ſiue neruulus, craneum permeet, vulnus infligatur, cuius cauſſa partibus internis leſio communicetur, a qua ob ſummam capitis nobilitatem & præſtantiam, quamq; minima videatur, nullis interuenientibus erratis, interitus produci poſsit.

CAP. IIII.

PRauorum ſuccorum abundantia mortis cauſſa eſſe poteſt, quando illi ad laborantem partem fluentes omnia ſubuertunt. Poteſt autem corpus malis ſuccis abundare, aut quia à natiuitate prauum temperamentum ſortitum ſit, aut quia poſterius tale euaſerit. id quod præcipue fit, vel cum morbo Gallico laborauit (inde.n.membra omnia preſertim uero naturalia ſolent vt plurimum remanere imbecilla, & ad prauos ſuccos congregandos apta;) vel cum vino, ciborumq. ingluuie obrui conſueuit: vnde neceſſario corpus cacochymum efficitur.

CAP. V.

INobedientia pariter necem adferre poteſt, puta cum vulnerati in capite animi, vel corporis continuo agitantur motu. contingit enim aliquando, vt quidam ita impatientes ſint, vt caput vno continere, & ut decet, nolint loco. pręterquam.n.quod vulneri continuus aduerſatur motus; etiam corpora debilia turbat, fatigatq., humoresq. ad partem læſam facillime fluere facit. Aliqui adeo timent, vt inde admodum fiant imbecilles, animumq. deſpondentes nil niſi mori cogitent. animi verò paſſiones quantā vim in morbis omnibus habeant, pręcipue uero cum caput vulneratum eſt neminem ambigere arbitror. loquor aũt, non ſolum de timore, ſed etiam de ira, & oĩ alia animi perturbatione, à qua fiat vt humores incaleſcant magis, & ad partem laborantem confluant, & inflammationem tandemq. mortem afferant. Neque capite vulnerati de vindicta intenſius cogitantes minus affliguntur, quàm qui in cubito, vel manu, vel alia parte vulnus patiens membrum continue mouet, puta ambulans, aut manum iactans, vel aliter mouens. Ira, vt Galenus dicebat, ad motum excitat excrementa,

Lib. de ca.mor. c.2.& 4

ta, quæ prius quieuerant, calefaciendo, attenuando, & in ſpiritum vertendo. Vnde mirum non eſt, ſi Antonio, vt hoc obiter addam, de Lon incolæ vallis Caliceriæ pagi Bergomenſis optimi habitus viro ex leuiſſimo capitis vulnere mors ſuperuenit, quamuis ſola cutis portione reſecta in capitis vertice, nullis accedentibus in primis diebus verendis ſymptomatibus, allato poſtea nuntio nihil ſe, qui egenus erat, pecuniamq. non paruam extorquere ab aduerſario ſperabat, poſſe ab eo conſequi. adeo enim ingens animi dolor illum inuaſit, vt febris, & tandem mors ſuperuenerit. Similiter nimia locutio, & clamor interitus cauſſa eſſe poſſunt; quoniam Auicenna teſte materias ad caput trahunt, quibus caput repletum facile fluxione, vel inflammatione corripitur, præcipue ſi tempora vulnus occupet. Inobedientia etiam cauſſa mortis eſſe poteſt, quando capite vulnerati nimiam euacuationem, aut repletionem procurant. Repletio procuratur cibo, aut potu nimio. ob id ſcriptum eſt ab Hippocrate: abſtinentia, & aqua cunctis vlceribus confert, & magis recentibus quàm vetuſtis; maxime vero omnium vulneribus in capite. Si ergo cibo magis quàm par ſit uulnerati in capite ſe impleuerint, aut uinũ biberint, in uitæ diſcrimen incidunt. Nam ex eodem Hippocr. ſi ægrotus in uictu delinquit, magis afficitur, quàm

Tertia 4 trac. 2 c. 10.

Lib. de vuln.

Lib. de vet. medic.

ſi quis ſanus utatur uictu beſtiarum. pariter, ſi uulneratus capitis temperamento calido ſit præditus, frequenterque odores aliquos calidos olfaciat, aut excrementa præſertim alui non egerat, inde mors ſequi poteſt. Nimia itidem inanitio accuſari poteſt, puta ſi æger utatur nimia inædia, quod noſtris temporibus rarum exiſtimo. multi enim potius pleno uentre mori, quàm mediocriter uacuo uiuere eligunt. Inanitio etiam nimia propter alui fluxum accidere poteſt, ſcilicet aut ob medicamenti purgantis aſſumtionem, aut ob aliam aliquam cauſſam, quæ aluum prȩter modum, & ſupra uires ſubduxerit, adeo ut uires proſternantur, ut accidit à duobus miſerrimis nuper à quibuſdam deceptis. Vnus eorum 1585. anno in capite uulneratus ſorte quadam ob ſerui pharmacopolæ errorem purgans pharmacum ſumſit, alij eiuſdem nominis ægroto ab alio Medico ordinatum, loco Syrupi alterantis ex aquis ſtillaticijs à proprio Medico præſcripti, die ſeptima, licet purgatione non egeret, cum antea ſecundũ exigentiam ſatis purgatus fuiſſet, unde qui nõ extra ſpem ſanitatis erat, paulo poſt obijt. Alius fuit infelix quidam lapide ictus in capite, cui dum medelam præſtaremus admouentes vulneri medicamentum paratũ ex terebentina, & oleo roſaceo omphacino, manus inimica, nobis inſcijs, aliquod cor-

rodens miſcuit, à quo eſchara adeo profunda inducta fuit, vt triplo maius quàm antea eſſet vulnus redditum ſit, qua viſa medicamentum mutauimus è noſtra pyxide aliud admouentes. vnde dies decimusquartus non præterijt, quod iterum vulnus ad optimum ſtatum redactum fuit. id videntes qui hominem nullo modo viuere ſtatuerant, aliquid deuorandum propinarunt, quod inteſtina abraſit, & aluum adeo fluidam reddidit, vt ſimul cum excrementis & ſanguine anima exierit. Item ſi accidat, vt lactans mulier, vulneretur in capite, lactentiq. vbera tribuat in vitæ diſcrimen adducitur, vt contigit coniugi Iordani Balſami, quæ vulnerata parum ſupra tempus ſiniſtrum, cum parua admodum cranei denudatione facta ab inſtrumento libere incidenti, continue puerulum vberibus enutriuit; & inde capite humoribus repleto inflammationeq. ſuborta extincta fuit. cuius ratio pulcre adducitur à diligentiſsimo Carpenſi, dum inquit: Dico mulierem non debere lactare, ſeu emungi aliquo modo vſque ad ſecuritatem apoſtematis: quia emunctio illa euacuat venas mamillarum, & ne detur vacuum à venis mammillas nutrientibus fluit aliunde in eas ſanguis. & quamuis per mirach aſcendant venæ ad mammillas ſanguinem illis à matrice deferentes, à quo fit lac;

Lib. de fra. cranei cap. de emũ. lac. f. 59

ta-

tamen etiam à ſuperioribus venis circa coſtas ſuperiores pectoris veniunt venæ ad coquendum ſanguinem conuertendum in lac, qui ſanguis eſt calidus longe plus ſanguine inferiori: & illæ venæ etiam, ne detur vacuum, tam ſuperiores, quàm inferiores trahunt à ſibi vicinis venis: & ita ponunt humores in motu tam ſuperiores, quàm inferiores. quia ergo venæ predictæ ſuperiores ſunt propinquæ venis gueden, & venis profundis venæ apoplecticæ, ſiue venæ ſomni nominatæ; ideo poſſunt caput replere, & capitis ſanguinem ad motum ducere. quia gueden venæ, & apoplecticæ, ſunt venæ, à quibus omnes capitis venæ ortum habent, ideo mulieres vſque ad prætactum tempus quieſcant ab emunctione. Hęc Carpus. Cauſſa etiam mortis capite vulneratis eſſe poteſt coitus, qui etiam refertur ad inanitionem, aut continua eius cogitatio. coitus enim humores calidiores & fluxibiliores reddit, pręterquam quod vacuando proſternit virtutem, ſtomachoq. præ cæteris nocet, cuius etiam conſortio caput læditur.

CAP. VI.

AEris item qualitas interitus cauſſa eſſe poteſt, quando cum eius frigiditate; & ſiccitate tenuitas adiuncta eſt, vt clare apparet in multis Ciuitatibus, in quibus propter aeris tenuitatem capitis vulnera difficillime curantur. dicebat.n. Gal. quod aer corpora denſiſſima expedite penetrat: ideo niſi arte & magna admodum diligentia cum vitemus, & corrigamus, craneum, membranasq. permeando, cum ipſa tum cerebrum, & varie etiam pro qualitate tenuitati adiuncta afficere poteſt, puta os corrumpere, membranas vellicare, & ad difflandum difficiles partes reddere. poſtremo etiam cerebrum refrigerare poteſt, quod quando accidit malorum vltimum eſt illi, cui caput fractum eſt. hoc uero poſtremum, non hieme tantũ, ſed etiam æſtate accidere poteſt, quia cerebrum eodem Galeno teſte, eſt quouis aere calidius. neque obſtat, quod multę regiones frigidę reperiantur, in quibus capitis vulnera facile ſanantur, vt tota fere Germania, & Polonia. quia quamuis ibi aer ſit noſtro valde frigidior; tamen quanto noſtro frigidior eſt,

tan=

tanto etiam craſſior: vnde nec ſubiecta corpora permeare, nec ita facile læſionem imprimere valet, ſicut ille, qui non ita frigidus eſt, ſed magnam tenuitatem adiunctam habet. quæ forte cauſſa eſt, cur quidam anni, & quædam eius tempora ac conſtitutiones reperiantur, in quibus omnes fere in capite vulnerati Bergomi, modo moriuntur, modo ſanantur, vt cum aer propter ventorum defectum, & pluuiarum multitudinem, vel propter ventorum multitudinem, & pluuiarum defectum; vel propter aliam quampiam cauſſam occultam, uel manifeſtam alteratus, & mutatus, modo tenuior, modo craſſior redditur.

Cauſa qrta

CAP. VII.

Medici imperitia, vel neglıgentia multis modis interitus cauſſa eſt, maxime vero cum Medicus à principio affectionem non cognoſcit, ob idque morbo debita auxilia non adminiſtrat, puta cum vulnus cauum, vel ſinuoſum ſcalpello non incidit, vt medicamentum apte admittat, & excrementa reddat; aut adimendum non aufert, non abradens, non per-

perforans, ſi abradendum, aut perforandum quidpiã ſit; vel certe male, & inepte abradit, vel perforat. neque enim ſecare expedit ipſas ſuturas; ſed ab ipſis recedere, & in proximo oſſe iſta agere. Male etiam agit Medicus, ſi os adnexum membranæ violenter auellat. de qua operatione, Deo fauente, poſtea loquemur. Medicamentum etiam aliquod acutum, ſeu acre, aut grauans vt Emplaſtrum ponderoſum vel premens nimis, ſi adhibuerit; aut actu frigidum, à quo inflammatio excitari poteſt in vulnere, vel circa vulnus, male adminiſtrauerit; vel linamẽtis vulnus violenter apertum detinuerit; vel vinculo nimis arcto vſus fuerit. Hoc.n. à Paullo latum parari iubetur, nec admodum adſtringens, ſed tm̃modo vt linamẽta retineat. conſulte ergo operaretur, ſi dum caput ſecandum eſt, methodum ab Hippocr. traditam ſeruaret. is enim quoties vulnus apertum tenere cogebatur, vt mala oſſis introſpiceret, primum procurabat, vt linamenta in vulnere ſine admodum adſtricto vinculo retineret: ſecundo, vt inflammationem arceret, cataplaſmate vtebatur, ex polenta tenuiſſima, quæ aceto ſubacta incoqueretur. eandem verò maxime glutinoſam fieri volebat, ut linamenta in vulnere minimo cum labore retineret; atque ita ligaturæ adſtrictionem fugeret. quę ad caput humores trahere poteſt. quam etſi Hippoc.

Lib.6. c.90.

Lib. de cap.vul.

C dum

dum linamento, & cataplaſmate utitur, adhibet; non ob aliam tamen cauſsam id facere videtur, niſi vt cata plaſma vulneri ſuperpoſitum retineatur, dum ſiccetur: neque vulnus cataplaſmate onerat; ſed ſolummodo partem vulnus ambiĕtem circundat. inquit enim: Hic vſus cataplaſmatis, & artificioſus eſt, & multum prodeſſe poteſt. videtur enim ulceri opitulari vis eorum, quæ circumponuntur. Noſtris vero temporibus dum caput ſecandum eſt, vſus albuminis oui inualuit, non quod Hippocratici emplaſtri uices ſuppleat, aut melius ſit; ſed quia parabilius eſt; forte etiā quia vſu receptiſſimū in alijs corporis partibus ſauciatis. ſed in capitis vulneribus non ita recte ipſo nos abutimur. ſed vtcunque ſit, optimū eſſet; ſi dum caput ſecandum eſt, non albumine; uerū Hippocratico emplaſtro uteremur, non tamen quorundā imperitorum abuſum ſequentes, qui eo toto fere uulneris tempore abutuntur. At didici quod ſi uulnus ſine cranei læſione fuerit, et motis, ideſt linamentis, & emmotis, ideſt medicamĕtis, quæ linamentis excipi ſolent, vtemur (quoniam ut plurimum Galen. teſte pinguia ſunt,) in vitæ diſcrimen capite uulneratus adducitur, quia & linamenta, & medicamenta pinguia, vulneri agglutinando aduerſantur. Et quemadmodum in uulnere ſimplici linamĕta ipſum ui apertum detinendo inflammationem excitare, &

Lib. de Med.

emmo-

emota ſordes nutrire, ideoq. interitus cauſſam producere; ita uulneris compoſiti præcipueq. cum contuſione complicati intempeſtiua agglutinatio mortem afferre poteſt. tunc enim non glutinandum, ſed danda opera eſt, ut ulcus quam celerrime ſuppuret. hoc enim pacto, quæ iuxta ipſum ſunt inflammari non poterunt, ipſumq. purum quam celerrime efficietur. Inquit etiam Hippoc. Neceſſe eſt laceratam, colliſamq. à telo carnem, in pus uerſam tabeſcere. & poſtquam purgata erit, ſiccari ulcus debet. nam ſic mature admodum ulcus ſaneſcet, & caro non humida, ſed ſicca producetur. Quod ſi cerebri membrana reperitur detecta, uel detegenda eſt, cum primum denudata fuerit, ſi cum ſiccantibus procedemus; uel lenientibus magis quàm par eſt, utamur, error accidit; unde miſeri uulnerati uix mortem euadunt. Quidam etiam medendi methodum nõ tenentes, modo ad ſiccantia, modo ad lenientia, magno cum uulneratorum diſcrimine pertranſeunt, non perpendentes, quod ſi ſtatim cum ſiccantibus procedimus, facile in inflammationem membranarum incidimus. ſi uero ultra debitum tempus lenientibus ipſis utamur, caro humida, mollis, ac hebes generatur, ſubiectęq. partis temperie corrumpitur. Atqui malum eſt in ulcere carnem humidam eſſe, hebetemq. & diuturniori tempore purgari. quare

quam celerrime lenitio ipſa tentanda; deinde vlcus ſiccandum eſt. Item ſi, cum aeris frigiditatem & tenuitatem timemus, pelles, pannos, ſtuppas, & alia ſine diſcrimine capiti ſuperponamus, nulla temporis anni, aut capitis temperaturæ habita ratione, vulneratis nõ leue periculum affertur. Quibus addere poſſumus aeris Medici iuſſu apparatum, cuius cum parua vel nulla habetur cura, multa damna infert, tam ſi frigidior, quàm ſi calidior reddatur; vt etiam cum vulnerati locis frigidis & humidis, vel iuſto calidioribus, aut nimis ſpatioſis, & apertis, aut nimium concluſis, & ſuffocatis collocantur. aer.n. non liber neque perflatus facile putredinem contrahit; qua cõtracta, ſi corpus cacochymum, quod frequens noſtris temporibus accidit, aut calidi fuerit temperamenti, febres accẽdit; vel ſaltem humores facile mouet. ij vero moti caput facillime, & partem læſam, ac debilem petunt. vnde ſequuntur poſtea ſæpius inflammationes, febres, deliria, morteſq;. Quod ſi, dum Medicus vulneri medetur, illud refrigerari permittit, nec petijs calidis vulnus fouet, præcipue aere frigido exſiſtente, omittitq. multis candelis accenſis, vt optime Carpus, & Arcęus monet, ambientem uulnus aerem alterare, ægrotantem vulneratum in vitæ diſcrimen adducit. Comperi etiam continuas viſitationes, præſertim cum vulnera-

tum

tum ſub amicitiæ ſpecie inuiſunt inimici, aut ſuſpecti, non paruum ei damnum intuliſſe. animus .n. ægri inde perturbatur, plerunque humores incaleſcunt, & ad laborantem partem fluunt; vt id quoque addam ab ijs, qui frequẽter talamos ingrediuntur, & egrediuntur, aerem inequalem, et modo calidiorem, modo frigidiorem reddi. quæ inæqualitas capiti vulnerato ſumme infeſta eſt, & non raro rheumatum conciliatrix. Ad medicantis item imperitiam, aut negligentiam mortis cauſſa refertur, cum totius corporis nullam curam habuerit, victum conuenientem non imperando, nec ſanguinem mittendo, aut opinionem eorum ſequendo, qui in vulneribus primo quoque tempore à ſanguinis miſſione abhorrent, eiuſmodi operationem contra præceptũ Hippoc. Gal. Auicennæ, & aliorum claſſicorum medicorum vſque in tertiam & quartam etiam diem, ſi Dijs placet differẽtes, aut humores ſuperfluos non purgando. Volebat .n. Hipp. purgationem ventris deorſum factam plurimis vlceribus conferre, atque vulneribus, quæ ſunt in capite, & in ventre. Non tamen deſunt Neoterici quidam, vt Franciſcus Valleſius, qui in capitis vulneribus non eſſe vtendum purgatione putat, præcipue ſi tempus anni calidum fuerit; ſed ſolummodo clyſteribus acrioribus, & tenui victu, timẽs id, quod in lib. de locis in homine dicitur ab Hipp.

Sect. 6. lib. 2. de mor. po.

febri-

Febricitanti caput ne purgato, ne furioſus fiat, calefaciunt. n. ait caput pharmaca purgatiua, & ad caliditatem febrilem, accedente ea quoque, quæ in medicamento eſt, inſania fit. eiuſdem ſententiæ fuit etiam Franciſcus Arcæus Hiſpanus, qui vix ullum medicamentum purgans in his caſibus admittit. Sed hos ſumme errare exiſtimo. quia dum humores ſaltem, qui in primis vijs ſunt, non euacuantur, ab eis redundantibus vapores in caput tolluntur, qui ad inflammationem excitandam concurrere poſſunt. Non negarem tamen eos in magno errore verſari, qui medicamentis valenter trahentibus, præcipueq. ſcãmonium, & ſimilia recipientibus capite vulneratos purgant. eo quod à medicamentis huiuſcemodi acribus ponuntur humores in motu, qui ad laborantem partẽ facillime poſtea fluunt, Caſus.
vt contigit ſuperiori anno Antonio Carminato incolæ vallis Breni. hic. n. vulneratus in capite à re contundente cum meningum denudatione poſt triceſimum diem iam conualeſcens ſumſit Rhabarbarum (quo antea ob chronicum morbum ſibi familiarẽ vti ſolebat) quod nihil eduxit, ſed humores agitauit adeo, vt caput impetentes, eryſipelas phlegomonodes excitarunt. cui ſubſecuta ſunt varia apoſtemata in capite & facie, & tandem interitus ipſe. quod vix eueniſſet, ſi noſtris pręceptis obtemperaßet. cum potuiſſet ſibi ſat Lib. de cu. vul.

eſſe

eſse detractio ſanguinis, & purgatio ab initio facta. Mea ergo ſententia in principio vulneris, & multo magis in progreſſu valenter purgantia, & ut aiunt medicamenta electiue educentia uitentur, in vſum ſolummodo lenientibus, aut leuioribus reuocatis. Inſuper capite, aut aliter fere vulneratus, cauſſa medicantis interire poteſt, quoties non cogitur iacere in loco decliuiori, quo ſanies facilius effluat; aut ſi aliter fieri nequit medicamentum aliquod extrahens non apponitur vulneri, vt naturæ debiliter operanti ſuccurratur, præcipue in parte capitis ſuperiori, quo loco natura propter ſitum altiorem difficilius ſaniem expellit. Medicus etiam cauſſa mortis eſſe poteſt, ſi mulierum familiaritatem nimiam, & ſeruitutem, preſertim ſpecioſarum, vulneratis non interdixerit. ex harum.n.continua conuerſatione, ſi non actus Veneris, ſaltem continua eius cogitatio oriri poteſt, quę non paruum nocumentum afferre ſolet. Si Medicus igitur his mentem non adhibuerit, id quod Aretęus dicebat, ſequetur, ut ſcilicet ex leuibus initijs morborum capitis, fines mortiferi ſequantur. quia infirmis, ut Ouidius poeta dicebat: Cauſſa puſilla nocet.

lib. 1. c. 2

Infirmis cauſa pusilla nocet.

CAP. VIII.

HAe ſunt cauſſæ, quæ præter ea
quę ab eſſentia uulneris petunt
non Bergomi tantum, ſed vbiqu
locorum capite vulneratis mort
afferre ualent. à quibus omnibu
quamuis aliquãdo apud nos mor
ſequatur; non tamen id adeo frequens ſit, ut plures ſi
affecti in hac patria, quam alibi moriantur. non.n.i
hoc terræ & orbis tractu deſunt boni habitus homi
nes, Medicisq. præceptis obſequẽtes; neque Bergome
ſis aer (alioqui ſatis laudatus) capiti adeo contraria
qualitates obtinet, ut ad illum huius mali cauſſa ſi
referenda; & non omnibus huius Ciuitatis Medici
imperitiæ nota iure inuri poteſt. Neceſſarium erg
arbitror particularis effectus, particularem etian
uenari cauſſam. Ea uero & occulta & manifeſta eſſ
poteſt. occultam cauſſam reijcimus, cum non deſin
manifeſtæ. nec inſueta uulnerato capiti umquã ſupe
uenire uiſa ſunt ſymptomata, quemadmodum Alua
rus Non. Hiſpanus Antuerpiæ accidiſſe anno 1574
memoriæ prodidit, dicens: Neſcio qua ratione id de
prehendimus hoc anno Antuerpię, ut plurimi citr
Caluariæ læſionem ex cerebri, ſeu menyngum concuſ

In ſcholys Arcai.

ſione

ſione effluente è venis ſanguine obierint. quod malum eo magis fuit capitale & funeſtum, quominus illi, qui ſic affecti erant in inſolita ſymptomata incurrerent. nam cum ſeptimo, aut ad ſummum quartodecimo die ſymptomatibus ab Hipp. deſcriptis hæc ſe noxa manifeſtet, hi illis diebus bene valere, non febrire, non vomere; cæperunt decimoſeptimo, & viceſimo; & quod magis eſt mirandum quinto & vigeſimo, hæc ſe ſe oſtenderunt; mortuiq. ſunt oēs. Hæc Aluarus. Quāuis aūt doctus iſte Medicus huiuſmodi mortis cauſam in manifeſtam reijciat, ſcilicet in cerebri, ſeu menyngum concuſſionem, ob quam è venis ſanguis effluxerit, qui inflammationem, aut apoſtema, & denique interitum attulerit; non tamen meo iudicio ueram cauſſam huius euētus attigit. quia ante numerum dierum ab eo propoſitum cerebrum neceſſario concuti debuit; potuitq. ſanguis è venis effluere. neque cauſſa apparet, cur eo anno cerebrum concuti, ſanguisq. effluere debuerit, magis q̄ anterioribus, & poſterioribus temporibus. Quod ſi ſanguis e venis effluxit propter contuſionem, quomodo uſque ad decimumſeptimum, aut viceſimum quintum diem antequam corruptionis membranarum vel cerebri inditia apparuerint, incluſus retineri potuit? ſanguis .n. extra vaſa à natura nō regitur. quare ſtatim cōcreſcit in grumos; mox putreſcit, ac in ſaniem

vertitur; & proinde putredinis effectus cito producit. nempe febres, deliria, & mortem, (vt ſileam alia) quando nemo eſt qui ignoret, quàm ſæua ſymptomata ad cõcretum in grumos ſanguinem ſequantur. Quo circa, cauſſa, ob quam eo anno vulnerati in capite frequenter Antuerpiæ mortui ſunt, non ad cerebri, ſeu menyngum concuſſionem, propter quam ſanguis e venis effluxit; ſed potius ad aliquam aliam cauſſam manifeſtam, vel occultam referenda videtur. & quia ſymptomata inſolito tempore apparuerunt, neque acutorum morborum morem ſeruarunt, quem tamen ſi os læſum non fuiſſet, ſeruare debuiſſent, forte non ab re erit, ſi id à cæleſti influxu eueniſſe affirmemus. cuius influxus vim in noſtro aere, per viginti, vel triginta annos continue perduraſſe non credendum, præcipue cum, quos hucuſque mortuos audiuimus, ſymptomatibus ab Hippoc. & alijs auctoribus deſcriptis correpti fuerint; neque alijs diebus quàm quarto, ſeptimo, aut vndecimo, vel ad ſummum quartodecimo, aut interuenientium aliquo. Quare nos id ad manifeſtam lubentius, q̃ ad occultam referimus. cuiuſmodi ſunt iam ſupra enumeratæ, de quibus ita actum eſt, vt vix alia, ni fallor ſupereſſe videatur, exceptis quæ ab inſtrumentorum, à quibus vulnera fiunt, et particulari noſtra aeris qualitate deſumũtur.

Sed

CAP. IX.

SED antequam vlterius procedam, videre operępretium eſt, quibus capitis vulneribus facilius & frequentius interitus adueniat. quia apud nos æque omnia vulnera letalia ſunt. ſæpe uero in non leuem admirationem adductus ſum vulnerum pericula contemplatus, non à magnitudine vulnerum, aut læſę partis præſtantia proficiſci, (qm̃ aliquando facilius ſanari videntur magnæ, quàm paruæ diſciſſiones,) ſed ab oſſis cranei vulnere denudati coloris mutatione. qm̃ eius ita color à naturali recedit, & variat, vt oĩ penitus humiditate priuatum uideatur, tametſi alioqui illæſum appareat. Huic vero coloris mutationi, & ſiccitati plurima tractu temporis accedunt ſymptomata, & denique mors ipſa. id vero omnibus eiuſmodi vulneribus, tam ab incidẽtibus, quàm à contundentibus telis inductis, ſuperuenire ſolet; ſed frequentius ijs, quæ contundendo facta ſunt. Antequam autem naturalem colorem os perfecte exuat, ex florido & roſeo, vt ita dicam, fit liuidum adeo, vt tandem ſenſim exacte exſiccatum appareat: nonnunquam etiam amiſſo naturali colore humidius videtur

non uulnerũ magnit do, ſed coloris oss cranei mutatio m tem indicat —

antequam ſiccitas ſe oſtendat. à qua humiditate, non ſolum tyrones chirurgos, ſed etiã, qui vulgo ſapientiores videntur, non raro deluſos fuiſſe vidimus; os illæſum arbitrantes, ſenſimq. hoc modo infelices capite vulneratos ad orci fauces abire permittẽtes. quæ profecto coloris in oſſe mutatio, & humiditas aucta; & deinde apparens exſiccatio, nihil aliud eſt, quàm ipſius corruptio. hoc aliquando in primis diebus, aliquando tardius fieri conſueuit. & aliquando priusquàm craneum corrumpatur ſymptomata antecedũt membranarum inflãmationem indicantia; aliquando aũt nullum apparet prius, quàm oſſis corruptio partibus internis fuerit communicata. qua ex diſtinctione clare elici poteſt, quod prima corruptionis ſpecies ab interna; ſecunda ab externa cauſſa originem ducit. illa certe fit, propter membranarum inflammationem natam, vel ab humoribus confluentibus; vel à materia ibi propter vas aliquod ruptum congeſta, quæ putreſcens, calidosq. vapores ad craneum mittens eius naturalem temperiem vitiat; & inſuper ſi in ſaniem conuertatur proprio etiam colore inficit. Alterum vero corruptionis genus externæ ſoboles eſt cauſſę, vt diximus, corrumpentis. Differunt autem, quoniam primę corruptionis ſpecies, ſiue ea fiat, anteq̃ craneum ipſum corruptum appareat, ſiue etiam vno & eodem tempore,

eius

...et corruptio in vulneribus capitis altera membranarum et altera ossium

eius ſtatim febris comes eſt, aut oculorum dolor, aut aliud ſimul apparens ſymptoma, quod membranas inflammatione, aut apoſtemate, affici demonſtrat, ſiue primis diebus, ſiue etiam poſterioribus, ab inducto ictu. In ſecunda autem corruptionis ſpecie, nullum ſymptoma videmus ante cranei corruptionem. corrumpi autem ipſum, vt plurimum incipit ſecundo, aut tertio, aut quarto die, aut etiam ſerius, vſque ad vndecimum diem, citius et tardius, prout corruptionis cauſſa maior, vel minor exſtitit. nullo interim ſuborto accidente, quod metum inuehat. (non. n. loquor de ea mutatione coloris in oſſe, quæ ſuperficiem tantum apprehendit, præcipue vndecimo, vel decimoquarto die tranſacto.) commune vero ſymptoma eſt febricula quædam, cui poſtea (non interueniente longo temporis tractu) plurima alia adnectuntur, & tandem mors ipſa. Hæc vero ſecunda corruptionis ſpecies, fere ſequitur, vulnera à contuſione facta: & frequentiſſima eſt, præſertim in hac patria, ob ſitus inequalitatem, lapidum multitudinem, & variam eorum figuram, ſimulq. aliorum inſtrumentorum contundentiū conditionem, & copiam. Quare mirum non debet eſſe, ſi frequentiſsime contuſionibus, oſſe capitis denudato, cū apparente fractura, vel ſine, iſta etiam cranei corruptio, quam exſiccationem vocant, ſuperuenit, vel integro apparente craneo.

Hæc

Hæc (niſi medica manus opem ferat) ſępe ineuitabilem affert mortem. Dixi Craneo integro apparente, quia, in quibus os vſque ad craſſam menyngem fractū eſt, adeo vt aliquantiſper ſit denudata, iſta cranei corruptio ſuperueniens, nullum periculum afferre ſolet. ſolummodo enim mortem afferre videtur, vbi craneum integrum conſpicitur.

CAP. X.

OSſis igitur, quod licet integrum appareat, ſub contuſo vulnere cōtuſionem nihilominus patitur, corruptionis cauſſa quęrenda eſt. Superius diximus, quod os antequam corrumpatur, aut vno & eodem tempore coloris patitur mutationem. Huius ergo primum indaganda cauſſa. Color eſt qualitas, quæ ex primarum mixtione reſultat, conſequiturq. qualitatum mutationem, potiſsimum cum rerum temperamenta & formę mutantur, & corrumpuntur; adeo vt, quoties color ſubſtantiæ oſsis mutatur, à mutatione temperamēti, ſeu formæ ipſius videatur prouenire. oſſis vero forma, niſi ſit eius naturale temperamentum, ſaltem ſine eo non conſiſtit. Quare ad mutationem hu

iuſce=

iuſcemodi veriſsimile eſt etiam eius naturale temperamentum ſolui. id vero ſoluitur, maxime cum in eo putredo, demumq. corruptio inducitur. putredinem uero oſsis ipſius ariditas ſequitur. dicebat.n.Celſus: Os id quod vitiatum eſt, aridum ſit neceſſe eſt. quoties ergo os mutauit colorem, & aridum eſt, putridum etiam & corruptum, eſt dicendum. Videndum igitur, quæ oſsis ſic contuſi integri apparentis temperiem ſoluere poſſunt, & in eo cauſare putredinem: hæc vero eſſe videntur primo Aer; ſecundo pus; tertio medicamenta; quarto humorum influxus; quinto nutrimenti priuatio, propter vaſorum craneum nutrientium interceptionem.

que ſunt oſsium cauſe putredinis —
1 Aer
2 pus
3 medicamenta
4 humorum influxus
5 nutrimenti priuatio

CAP. XI.

QVo ad primum ergo tractus Bergomenſis regionis montanus eſt, longe à lacubus, paludibus, ac alijs aquis, pręſertim ſtagnantibus. vnde in eius aere pauci exſurgunt vapores. & quotquot in eo ẽt quacunque de cauſa eſſe contigerit, facile diſcutiuntur à ventis, à quibus continuo perflatur, ita vt apud nos fere ſemper ſit aer purus, ſiccus, ac maxime tenuis,

Aer —

nuis,

nuis, magnam penetrandi vim obtinens. nec tamen intenſe frigidus eſt, adeo vt capiti vulnerato noxam inferre ſua frigiditate ſit affirmãdus. Cremẽſis.n.aer (ſi relatis ſit ſtandũ) noſtro frigidior eſt, vt et Germanicus, & Polonus, attamẽ his in locis aeris frigiditate non impediente, fere omnes in capite vulnerati ſanitati reſtituuntur. id quod nequaquam eueniret, ſi frigidi aeris qualitas accuſanda eſſet, os cranei ſiccare & corrumpere. deinde quomodo frigiditas non intenſa poſſet interficere? Quare ſi aer corruptionis, ſeu putredinis cranei apud nos cauſſa ſtatuendus eſt, id potius in eius tenuitatem referendum arbitraremur; non quod tenuitas ipſa per ſe noxam inferat, cum ſit qualitas ſecunda, quæ niſi aliarum interuentu agit; ſed quod occaſionem alijs qualitatibus, quæ per varias & inæquales admodum conſtitutiones in noſtris montibus mire inconſtantes ſunt in agendi ???os præbeat, & permittat. aer tenuis os promtius ſubit, quàm mediocris, aut craſſus; quæcumque fuerint ambientis conſtitutiones, intenſæ, ſiue calidæ, ſiue frigidæ, ſiue humidę, ſiue ſiccę, vel complicatæ oſsium denudatorum temperamento aduerſantur; natiuumq. calorem oĩum operationum naturalium cauſſam labefactant & exſtinguunt. hoc vero eo facilius ſequitur, quo tenuior exſtiterit. tum enim non tantum cranei ſubſtantiam

Aeris tenuitas timenda

per-

permeare, ſed etiam ad membranas, & cerebrum perueniens eorum temperamentum ſoluere poteſt. id vero dupliciter faciet, vel primario frigiditate ſua calorem natiuum extinguendo, vel per accidens poros conſtipando, & difflationem prohibendo. Dicebat Gal. algorem & frigiditatem efficere corpora neruoſa difficilia ad difflandum eorum ſubſtantiam contrahendo, & condenſando. prohibita vero difflatione non mirum eſt, ſi craneum corrumpitur concepta putredine, membranæq. ſæpiſsime inflammantur. Hinc ergo aliquando cauſſam primę ſpeciei corruptionis cranei pendere arbitramur; quoniam membrana exquiſito ſenſu prędita aeris præcipue frigidi læſionem facilius percipit, quam os. ideo ea inflammationem contrahens, calidos vapores ad craneum mittit, eumq. etiam tangendo, & medio vaſorum, quæ à membrana ad illud mittuntur, quodammodo inflammatione afficit. idq. prius ab aere male affectum, & nutritione deſtitui incipiens, ac periclitans facillime corrumpit. Huius vero corruptio, vel ſimul cum inflammatione membranarum, vel parum poſt apparet, longeq. à ſecunda ſpecie corruptionis differt. Nonnullos enim vidimus, quibus craneum contuſum non erat, ſed ſolummodo denudatum, vno die nec febrire, nec alio affici ſymptomate, ſed in omnibus ſecundum rationem ſe habere. poſte-

2. aeris tenuitas no

4. Sim. med. c. 2

riori vero, cum inflammationis membranarum, oſſis corrupti ſigna ſimul fuiſſe, qui mortui ſunt. Hoc aũt præcipue accidit, quando aeris non habetur cura, nec eius qualitas timetur, vel thalami adeo calidi præparantur, vt caput valde calefiat; ob idque humores ad ipſum confluant, vt inflammationem excitent, quæ vulneratos poſtea interimit. ſimilem cum aere noxam adfert etiam materia confluens ab intrinſeco, ad membranam loco affecto ſubiacentem, ſeu propter vas ruptum, ſeu per oſsis rimulam, vel eius poros tranſiens. nam ibi congregata & putreſcens, oſsis etiam temperamentum ſoluit. Quomodo vero aer ſolus ſecundam corruptionis ſpeciem efficere poſsit, non patet, eo maxime, quia ſæpe (licet aerem alteremus, & quo ad fieri poteſt emendemus,) euenit.

CAP. XII.

IN Medicamentorum autem malum vſum forte culpa aliqua eſt reijcienda. quoniam oſsi oleoſa medicamenta, vel alia fluida aliqui indiſcriminatim ſuperponũt, ſufficere exiſtimantes ſi linamentum ſiccum pręmiſerint, licet totum poſtea vulnus

re=

reliquum ſine vllo timore oleoſis impleant, perinde ac ſi linamenta illa ſicciſſima, rariſſima, & leuiſsima oleo madere nequeant, & omnia oleoſa, vel quæuis alia liquida ab oſſe arcere queant. quod & falſum & ridiculum eſt. Medicamenta.n. quæ craneo nudato admouentur, non ſolum ſicca potentia, ſed etiam actu talia eſſe debent. Dicebat Gal. In nudatis oſsibus pinguia pharmaca vitamus, ſiccis ſolis vtimur, fugientes emmota. ex quibus Gal. verbis elicitur quod, ſi medicamenta, quæ linamentis ſuperducuntur, oſsibus denudatis non competunt; multo minus ea, quæ humidã, ſiue fluidam ſubſtantiam habent, conueniunt. hęcq. videtur ratio, quia, quæ humida ſunt, & fluxilia, præter q̃ quod maior eorum pars temperamento oſsis aduerſatur, poros ẽt cranei permeare poßunt, ſecumq. ichores in vulnere genitos, aut ſaniem altius per eius ſubſtantiam vehere; qui poſtea, propter eorum craſsitiem & et pondus, ſub oſſe detinentur, & interitum adferunt. Neque credendum, quod oſsis cranei expultrix facultas eos repellere poſſit, & impedire quominus in id altius ſubeãt; quia os corpus ſimilare eſt, frigidum, & ſiccum, cuius operationes ob id tardæ ſunt. dum autem os carne nudatum eſt, propter pus, & medicamentorum, & corpus, et uim, eorundem etiam qualitates illud alterare poſſunt. quibus omnibus debilis iam 5. de cõ. medi. p gen. 14.

propter morbum effecta pars, difficile admodum obſtare poteſt. quo ſit, vt in huiuſmodi ſubſtantiam, & altius, & profundius liquidum quoduis & fluidum corpus facile irrepat, & recipiatur. Vnde rationi conſonum eſt ob hanc cauſſam Hippocratem dixiſſe, vlcus in capite, neque vino, neque alia re eſſe madefaciendum, quod ab eo non propter carnem, ſed propter os, de cuius læſionibus præcipue tractat, dictum fuiſſe credendum. neque vinum ſolummodo à curatione vulnerum capitis excludit, vt clare ex Cornarij, & cuiuſdam alterius doctiſsimi viri translatione patet; ſed humida omnia: ſic dicens, Vlcus in capite nullo humore humectare oportet; ac ne vino quidem, vel certe quam minimum. prius enim antequam de vino loquatur, humida omnia à curatione vulnerum capitis reijcit; quemadmodum etiam in libro de vlceribus fecerat. & quia ibi vinum non excluſerat, immo illud comprobauerat; idem de vulnerum capitis curatione non eſſe intelligendum admonuit, dicens, Ac ne vino quidem, quaſi dicere voluiſſet Hippocrates, quamuis vinum pro alijs vlceribus curandis acceperim; ſcias tamen hoc capiti vulnerato non conuenire. adiecit autem Quam minimum, vt alij vertunt, Temere; fortaſſe, vt ſi aliquando pro vulnere abluendo, vel alia de cauſſa vino vti velimus, eo temere

non vtamur. temere autem vino vtendum non videtur, non quod eius qualitas vulneri aduerſetur, carnem adſtringendo, & comprimendo, carnisq. meatus obſtruendo. non enim omne vinum ita adſtringit, vt carnem vltra debitum cogendo, & comprimendo dolorem inflammationemq. moueat, quemadmodum facit, quod vehementer auſterum eſt. Immo vinum, quod modice auſterum eſt, pro vulneris curatione à Galeno adeo probatur, vt ſe eos, qui grauiſsime vulnerati fuerant, curaſſe fateatur, multiplicem pannum vino nigro auſtero madentem vulneribus inducendo. Neque Hippocrates vinum, quod ſit auſterum, vel dulce, aut acidum rejcere videtur: ſed uinum omne in genere. quod autem omne uinum non adſtringat, adeo clarum eſt, ut nulli non ſit manifeſtum. Verum dato quod uinum ab Hippocrate in uulnerum curatione damnatum fuiſſet, eo quia carnem adſtringat, comprimatque, non apparet cauſſa, cur cætera humida reijciat. Inquit enim iuxta Vidij translationem Vlcus in capite neque uino, neque alia re, madefacere oportet, aut certe quam minimum. quare ab Hippocrate uini uſus, aliorumque liquidorum, interdictus fuit, ne propter eius fluidam ſubſtantiam, ſuper os labens, eius latibula, poroſitatesq. permeet, ac ſaniei, quæ cõtinue in uulnere gignitur, portionẽ ad mem- 3.de fra ctu.

bra-

branam, & cerebrum ducat. idque interitum adferat. quibus addere poſſumus, vinum in capitis vulneribus ab Hippocrate reijci, quia non adeo ſiccum eſt, vt temperamento oſsis par ſit; ſed eius reſpectu humidum exſtet; ob idque ipſius temperamentum euertere valeat. Quo circa, ſi vinum alijs vlceribus
3.met.4 *amicum, & (vt Galen. dicebat) omnis vlceris optimum medicamentum, ea de cauſa Hippocrates à curatione vulnerum capitis excludit, adeo vt ſi eo aliquando vti velimus, temere non vtendum præcipiat: quid de alijs humidis medicamentis intelligendum ſit, prudentiſſimo lectori iudicandum permitto. Itaque ſi vinum, quia humidum, non conuenit, ergo nec lotiones, quæ à quibuſdam parantur; nec mel roſeum, (præcipue quando os nudatum eſt;) nec alia, quæcumque ea ſint, humida, cum caput vulneratum eſt; ſed ſolummodo non potentia tantum, ſed etiam actu ſicca & arida, vt ea ſunt, quæ Galen. lib. quinto de compoſitione medicamentorum per genera, Cephalica appellat.*

quę nocent

CAP. XIII.

QVando vero os cranei corrumpitur ſine vllo apparente tumore, aut inflammatione, aut alio quouis in vulnere ſymptomate, humorum influxum cauſſare non poſſumus. & quamuis is aliquando contingere poſsit, (vt in Eryſipelate;) raro tamen oſsis ſuperficiem tranſit. Sed hic mirari ſubit, cur Galeni tempore, oſsibus denudatis raro eryſipelas ſuperuenire ſolebat; noſtris vero temporibus, ſæpe. id quod obſeruauimus, præcipue anno octuageſimo quarto ſupra ſeſquimilleſimum; quo tempore id, non ſolum hominibus vulneratis calidæ temperaturæ; ſed etiam frigidæ, ſuperueniſſe vidimus. Jmmo, quod peius erat, ſi cutis ferro, aut cauſtico medicamento aperiebatur, (frigida, quæ prius morbum excitauerat & fouerat cauſſa non obſtante,) vt in tumoribus etiam, melancholicis, malum id ſuperuenire ſolebat. anno uero, in quo hæc ſcribere poſtea cępi, multi vulnerati in capite cum oſsis denudatione, vel fractura interierũt, præcedente eryſipelate in affecta parte. quod deinde paullatim totũ corpus circuẽs, aut ad partes internas retrocedens, vt plurimum enecabat. quod ſi qui euaſiſſent 7. apho. 19.

cuti-

cuticula, pilisue decidentibus glabri fiebant. Quare patet contra uulgi opinionem, quod frequens interitus uulneratorum in capite iſtius anni, non à particulari à corporibus cæleſtibus demiſſa lue, ſed à ſuperuenientis morbi natura pendere. patet enim eryſipelas caput apprehendens necem non raro afferre, pręcipue capite uulnerato exſiſtente, eo tunc propter uulnus debiliore, ob idque promptiore ad excrementa ſuſcipienda, & retinenda reddito.

CAP. XIIII.

QVod uero pertinet ad uaſorum craneum nutrientium interceptionē, nemini dubitandum, vaſa craneum nutrientia ipſo denudato ſimul cum eo continui ſolutionem & diuiſionem pati. ex qua os tabeſcere, (ne dicam mori) contingit; quia medulla illi nutrimentum ſuppeditat, licet non adeo copioſum, ut ſufficiat etiam parti denudatæ perfecte nutriendæ. uerum quoties os nudatum eſt, & nutrimenti penuria non laborat, difficile ab ambiente alteratur. quam arbitror eſſe cauſſam, cur aliquando oſſa denudata ſquāmam non remittant. quod in multis obſeruauimus; præ-

cipue

cipue vero in craneo Perilluſt. Comitis Octauij Brembati, cui per multos dies cranei portio carne exuta permanſit; in eoq. tandem caro ſupercreuit, tametſi nulla oſsis portio, aut ſquama abſceſſerit. ſed quoniam in omni orbis parte contingit per vulnera vaſa diuidi plurimis non intereuntibus: ideo neque hæc particularis apud nos fuerit ſtatuenda cauſſa, quæ cranei temperiem euertat, interitumq. adferat.

CAP. XV.

Si ergo nec aer, nec pus, nec medicamenta, nec humorum fluxio, aut vaſorum præciſio, cauſſæ peculiares dici debent, à quibus frequentius hic, quàm alibi, oſsis cranei putredo ſequatur, ac corruptio fiat, quænam erit cauſſa? An forte ea, quæ vulnus efficit? ſuperius enim dictum fuit maiorem partē vulnerum, quæ hac in regione capiti accidunt, ab inſtrumentis contundentibus fieri; & ſi craneum corrumpatur, id præcipue vulneribus à re contundente factis ſuperuenire: idque ſecundo, aut tertio, aut quarto die prodi; aut aliquando nonniſi vndecimo alicuius interuenientis ſymptomatis. Quare neceſſarium ar-

bitror ad examinandam inſtrumentorum contundentium naturam accedere.

C A P. X V I.

PORRO quæ contundere poſſunt, eiuſmodi ſunt, vt non ſolum quæ diuiſæ oculis ſubijciũtur, lædant; ſed etiam in ijs, quæ illæſæ à principio videntur, ſemina mortis abſcondant, quoties craneum contuderint. quamuis enim oculis, à contuſione læſio inuecta non appareat; fieri tamen poteſt, vt vaſa in cerebri membranis, dura, vel tenui, dicta pia matre, vel in plexu coroide, vel denique in ipſo cerebro, ſiue vena, ſiue nerui rumpantur. nerui.n. vbi à cerebro oriuntur, molliſſimi ſunt. Quod offenſæ genus libere, expediteq. incidentia raro efficere ſolent. Sed de læſione, quæ partibus ſub craneo contentis accidit, nobis modo non eſt ſermo; ſed ſolummodo de ea, quæ aduenit craneo ipſi contuſo, non apparente ad ſenſum contuſione. quam exſiccatio, ſiue etiam corruptio, tandemq. niſi Medica manus præſto ſit, mors ſequitur. Hæc, ut ſupra relatum eſt, facilius, frequentiusq. homines apud nos e medio tollit, difficileq. à Medicis cognoſcitur, ac

facile

facile curatur. Sunt tamen, qui eam adeo negligant, vt contendant, de ea locutum fuiſſe Hippocratem, propter prognoſticum tantum, & vt diligentiorem redderet Medicum ad inueſtigandum; non autem principaliter vt eam curaret. An vero iſti Hippocratis mentem aſſequantur, ſuo loco patebit. Hęc læſio, quę à contundente inſtrumento in oſſe relinquitur, à Galeno Thlaſma, & Thlaſis; à noſtris Colliſio, ſiue contuſio vocatur. quam idem ita deſcribit: Cum exterior ſuperficies eius, quod ita patitur, corporis continuitatem ſeruauerit, multæ vero exiguæ diuiſiones in profundo extiterint, colliſio, ac contuſio vocatur hoc ęgritudinis genus. Ex quibus Gal. verbis patet, quid ſit colliſio, ſiue contuſio. quo etiam in loco addit, ea quæ colliſionem pati debent, aut ex carnoſis partibus, aut ex tenera oſſium natura eſſe oportere; dicens: Neceſſarium eſt, vt ſub ipſo ictu in ſeipſum impellatur, & cauum fiat, quod colliditur; alioqui non collideretur. vt vero abeunte cauſa cauitatem obtineat, non eſt neceſſarium: nam magna ex parte mollia omnia ad naturę ſuę locum regrediuntur, vbi percuſſor diſceſſerit. Quare ex Gal. verbis elicitur colliſionem in molli tantum corpore, vt in carne, & tenera oſſium natura fieri, quia, vt Nicolaus Floren. dicebat, quanto os eſt ſiccius naturaliter, vel per ætatem, tan-

P. M. Thron. de capi. vuln.

De cau. mor. c. 2

contuſio, ſeu colliſio qd

to magis & citius contingit ipſum findi, ex occurſu cauſæ contundentis; & econuerſo, quanto minus eſt ſiccum, tanto minus contingit illud. Si ergo os cranei non admodum ſiccum fuerit, non ita facile apparenti fractura rumpetur; ſed latenti. quæ colliſio, ſiue contuſio vocabitur. Omnium vero ætatum oſſa, nõ adeo dura ſunt, vt ſi non ſecundum totam ſubſtantiam, ſaltem ſecundum eorum partem collidantur. Dicebat Celſus: Poteſt etiam euenire, vt ex ictu neq; findatur os, neque perfringatur, ſed ſummum tantum collidatur, exaſperetur que. Hanc colliſionem Hippocr. in ſuo de cap. vulneribus libro, ſecundum modum fracturæ cranei poſuit, phlaſimq. appellat, ſic dicens: Collidi os poteſt, quamuis in ſuo ſtatu ſeruetur, & colliſo rima non accedat. Hic ſecundus. huius vero colliſi ſpecies ſunt plures. nam plus, minusve colliditur, & altius, ac totum os. vel in ſummo magis, & non totum; & plus, minusue etiam quod ad longitudinem, & latitudinẽ pertinet. ſed nulla poſtmodum conſpectui cognoſcitur, qualis ſit & quanta. neque .n. vbi quid colliſum eſt ab ictu, protinus malum oculis patet. Plerumque .n. in phlaſi colliditur os, ſic vt colliſum non appareat.

CAP. XVII.

QVam fracturæ cranei ſpeciem, vt ſupra dicebamus, quidam, qui nuper commentaria in lib. Hipp. de capit. vuln. edidit, ab Hippocrate connumeratam fuiſſe vult, propter prognoſticum; itemq. ut Medicum valde diligentem reddat inueſtigando eam colliſionem, &c. Verum de ea tractaſſe Hippocratem, vt Medicus diligentior inueſtigando redderetur, fateri non vereor: ſed quod propter prognoſticum, eam in medium attulerit, quaſi hæc fracturæ cranei ſpecies curationi non ſubijceretur, non equidem; quia Hippoc. vtitur his verbis: Ad ſectionem veniendum eſt, cum os colliditur, ſiue res lateat, ſiue in aperto ſit; atque vbi finditur, ſeu rima oculis ſubijciatur, ſeu minus appareat. Præterea cum os inciditur, ſic vt teli veſtigium in eo relinquatur, & ſimul vel finditur & colliditur; vel ſine vlla rima colliditur, in hoc fracturæ modo ad ſectionem veniendum eſt. Ecce prudens Lector, quod diuinus ſenex de colliſione, & rima verba facit; & vltimo colliſionem, vt quæ exquiſitiorem Medici diligentiam poſtulat, in medium adducit, dicens: Vel ſine vlla rima colliditur, in hoc fracturæ modo, ad ſe-

P. M. Thron.

ctio-

ctionem veniendum eſt. rurſus, poſtquam fracturarum cranei modos enumeraſſet; & oſtendiſſet, qui inter eos oſsis ſectionem poſtulant, vel non; ſimulq. quomodo in earum fracturarum cognitionem veniremus, ait: De curatione vulnerum capitis, deq. ratione, qua deprehendi debent mala oſsis, quæ non apparent, ita ſentimus. Modo colliſio & rima ſunt illæ fracturæ cranei ſpecies, quæ non apparent. ergo reſtat, vt de eis, non autem de apparentibus tantum fracturis primo & potiſsimum tractarit non propter prognoſticum; ſolummodo, ſed propter curationem: quod adhuc ex ſequentibus verbis clariſsime patet. ſubdit.n. Verum oportet vbi os nudatum ſit, id operam dare, vt cognoſcamus, quod conſpectui non ſubijcitur, intelligamusq. num os fiſſum ſit, & colliſum; vel colliſum tantum; vel non ita inciſum, vt oſtendat qua telum inſederit; & præter id colliſum, aut fiſſum, vel vtroque modo læſum ſit; atque vbi aliquo ex his modis violetur, detrahere ſanguinem oportet, oſſe per exiguam terebram perforato. Ecce quod dum de cranei perforatione loquitur, eam eſſe neceſſariam in fracturis cranei non apparentibus oſtendit. cuius adhuc clarum argumentum eſt, quia vult craneum exigua admodum terebra perforari; quod in magna fractura non ſufficeret. Contra vero, inquit: Id os quod à ſuo ſtatu recedens deſidit raro,

ſe=

ſecandum eſt; & quæ maxime deſident, & maxime perrupta ſunt, minime ſectionem requirunt. ad hæc neque ſedes teli vbi os non finditur, & colliditur, ſecari debet; neque etiam quod præciditur, ſi inciſio magna fuerit, & lata. Præterea Hippocrates dum modum ſecandi craneum oſtendit, pericula recenſet, quę ſubitam oſsis à membrana ſeparationem ſequi ſolent. ideoq. ne in ea incidamus præcipit, vt os, quod vndique ſectum eſt, per ſe à membrana abſcedere permittamus. ergo oſsis ſectionem inſtituit, pro fracturis cranei, in quibus os non vehementer afflictum eſt, vt eſt colliſio, et rima. Si enim os vehemẽter læſum fuiſſet, celerrime ut Gal. dicebat, membrana ab eo recederet. De his autem fracturarum cranei ſpeciebus principaliter Hippoc. locutus fuit; quia, cum colliſio, & rima Medici oculos fallant, niſi in eis cognoſcendis, & recte curandis admodum perſpicax & diligens ſit, multi occidunt. Quare id cauere volens quo ad fieri poterat, librum de capitis vulneribus nobis reliquit Hippocrates; contra .ſ. atque noſtri æui Chirurgi faciunt, de cranei læſionibus precipiens. Ipſe enim non apparentes caluariæ læſiones cognoſcere, & curare docet. Quidam ex noſtris has ſilentio prætereunt, magnasq. ſolummodo cranei diſciſſiones, & fracturas, quę Hippocr. teste ſectionẽ non requirunt, curare docent: totiq. in eo ſunt, vt glorien-

rientur, ſe cerebrum circumfluentem retinuiſſe; innumeraq. oſsis confracti fruſtula abſtuliſſe: cum tamen in magnis hiſce diſciſſionibus magis natura, quam Medicus operetur. Inſuper vt aliquid non cuiq. communicandum eos feciſſe appareat, quiſque particulare ceratum, vel emplaſtrum proponit & laudat, tamquã miraculorum auctorem. id quod non aliunde, quam ab artis ignoratione et negligẽtia prouenire arbitramur. Si.n. artem recte callerent, Naturam, quę ex Hippoc. morborum eſt curatrix, in his quoque paucis contentã eſſe non ignorarent, vtpote quę, à lęſo oſſe non putridã colluuiem includente, non opprimitur, & pus expellere, aliaq. neceſſaria ad ſanitatem, paucis & quandoq. nullis adiuta remedijs perficere ſolet. id quod in antea dictis cranei occultioribus læſionibus, & colliſionibus, haudquaquam efficere poteſt, niſi Medicus prudens & diligens, manũ admoueat, et ſuppetias ferat.

CAP. XVIII.

NEque ulli dubitandum, Librum Hippocratis, qui de Capitis Vulneribus inſcribitur, eſſe inter legitimos connumerandum. quando Gal. Hipp. de Cap. Vulneribus librum ſcripſiſſe teſtatur: quẽ etiam ſe cõmentarijs illuſtraturum promittit. nullum

uero Hippoc. lib. de capit. uulneribus exſtare, prgter uulgatum hunc, quē omnes in manibus habemus, certum eſt. cuius ſtylus & ſentētiæ, (ut inquit Vidius) ab Hippocrate ipſo nullo modo abhorrent. quare librū hunc, quem Vidius, & alij latinum fecerunt, vna cū Cl.mo Mercuriali prgceptori noſtro non ambigimus eſſe Hippocratis genuinum.

CAP. XIX.

AD rem igitur vnde digreſſi ſumus redeuntes, dicebamus, quod ſecunda ſpeties corruptionis oſsis cranei ſuperuenit vulneribus à contundentibus rebus factis; & quod nulla alia cauſſa nobis examinanda relinquebatur, præter eam, quę eiuſcemodi offenſam in capite efficit. quæ cum ſit inſtrumentum contundens, videndum quomodo corruptionem, ſeu exſiccationem, in oſſe contuſo cauſſare poſsit. Dicebat Auicen. quod in contuſione pori comprimuntur ab impellente, quod fecit contuſionem. quæ ſententia à Neotericis ſcriptoribus corroboratur, dicentibus, quod dū pori comprimuntur à contuſione, calor innatus ſuffocatur; & propterea quod ex eius ſuffocatione, oſsis alteratio, & corruptio ſequitur. Nec mirū, quia dum

4. quarti. tract. 2. c. 2.
Mag: lib. de uul. ſclo. c. de oſſe corrup.
Alfonſ. Fer. de ſclo. vul. cap 6.
Crucei lib. 1. c. 9
Holler. inſt. chirur. lib. 3. c. 1.

meatus oſsis compreſsi ſunt, naturalis calor perſpirare non poteſt. vnde eius ſequitur exſtinctio; ad quam tandem mors: atque eo facilius, ſi, propter contuſionem, ſanguis in meditullij locum, aut oſsis ſubſtantiam, aut ſub craneũ, ex proprijs vaſis & locis exeat, effundaturque. Hic.n.putredinem contrahens primum os, deinde membranas, ac cerebrum corrumpit. hanc vero corruptionem febris ante decimumquartum diem ſequitur. vnde ſtante Hipp. auctoritate eam ab oſsis læſione oriri affirmare non dubitamus. inquit.n. Hippoc. Hieme plerumque ante decimumquartum diem; æſtate, poſt ſeptimum febris accedit. Præterea vero inter cetera quæ vulnerato ſuperueniunt corruptionem oſsis connumerat. hanc autem ſuperuenire inquit, cum quis fractum eſſe os percipit, ſiue fiſſum ſit, ſiue colliſum, ſiue quouis modo ruptum; neque id radat, neque ſecet, quaſi non egeat, & inuiolatum ſit. qua ſtante Hipp. auctoritate, clipeus aerius excluditur, quo paſsim ſuã tegentes imperitiam abutuntur negantes in rimis & colliſionibus ad ſenſum nõ ſatis apparentibus oſsi ferrum eſſe admouendum. Sed ad rem forte quiſpiam dixerit, quomodo mors ſequitur ſepe in paruis cranei denudationibus? non.n.id ob contuſionem, à qua oſsis meatus comprimuntur; ſed ob aliquam aliam cauſſam magis veriſimile eſt euenire. quoniam ex parua cranei

de-

denudatione, parua etiam, aut nulla argui poteſt contuſio. Verũ, ſi rem hanc diligentius ꝑpendamus contrario modo eã ſe habere comperiemus. Argelata, cum de ſignis fracturæ cranei loquitur, inquit. Circa hoc notes, quod licet ſolutio cõtinui ſit parua, cõtingit tamen os fore fractum. Hæc autem videtur ratio, quoniam contundens paucum ſpatium apprehendens, ſi recta feriendo moueatur, magis ictum imprimit; quam ſi multum ſpatium occupet: quoniam pauca cranei quantitas minus telo graui reſiſtit; quam magna: quoties ſcilicet magna oſſis caluariæ portio à pari ictu feritur. in maiori.n. quanto cæteris paribus, maior vis, ex ſententia Philoſophorum.

Lib. 1. tract. 1. cap. 1.

CAP. XX.

SEd quoniam nonnullæ Regiones Ciuitatesq. reperiũtur, in quib. cranei contuſiones, non minus frequentes videntur eſſe, nec tamen in ijs adeo frequentes ſunt mortes à contuſionibus huiuſcemodi, vt Bergomi: ideo hæ non videntur eſſe referendę in ſolam contuſionem, ſed in alias etiam cauſſas, contuſioni adiunctas. Nulla vero ex enumeratis, craneum, & alia oſſa denudata corrumpere valentibus; videtur magis concurrere poſſe, quam aer ipſe; quem,

admodum ſubtilem apud nos eſſe omnes confitentur quo ſit, vt corpora facile permeare poßit, vel ipſius Galeni teſtimonio. Non ergo mirandum, ſi contuſa & denudata oſſa magis hic, quam alibi, facile corruptionē ſentiant. aer.n.tenuis à prędominio, vt antea diximus, ſiue calidus, ſiue frigidus, ſiue humidus, ſiue ſiccus, ſiue duas qualitates primas excellentes obtineat, oſſium denudatorū ſubſtātiam facilius permeat, ipſorumq. ex contuſione male iam affectorū temperamentum immutat, & plerumque euertit. quod ille nō adeo facile facit, qui ratione temporis anni, vel conſtitutionis, vel regionis, vel alia quauis de cauſſa, craſsitiem obtinet. Craſſior.n.aer, vt oſsis contuſi ſubſtantiam permeare non facile poteſt: ita, neque eius temperiem mutare, et naturalem calorem exſtinguere ualet. Quare non mirū, ſi in craßiori aeris regione à contuſis capitis vulneribus non ita frequenter interimantur homines: ſicuti neque in quibuſdam vallibus, & montibus noſtris, in quibus, tum propter aeris maiorem craſſitiem, cum propter validiorem naturam fere omnes (quamuis inepte curentur) ſanitati reſtituuntur. Cuius rei ipſe teſtis oculatus fui, cum in Valle S. Martini chirurgiam exercerem. Iam.n.agitur tertiusdecimus annus, quando ibi, licet artis ſolummodo principia deguſtauerim, nihilominus omnes

in

in capite vulneratos (fuere autem multi) fauente Deo ſanabã. Quare ſtatuendum, donec melior adferetur ſententia, oſſa non cranci tantum, ſed cuiusq. corporis partis denudata, & contuſa, in hac Patria facilius corruptionē ſentire, quoniam contuſa oſſa, propter contuſionem debilia reddita, aeris ingreſſui obſtare non ita ualent; & ob id, ad putredinem contrahendam magis cum ſint præparata, ea aer tenuis promtius permeans, alterat, eorumq. temperamentum ſoluit. Si ergo oſſium denudatorum, & contuſorum temperamentum à tenui aere eorum ſubſtantiam permeante facile euertitur, quid agendum, vt huic tanto malo opem feramus? neque.n. facile aerem ita emendare poſſumus, vt ſuæ prioris naturæ vim non aliquã retineat. Quod ſi cum humectantibus quiſpiam id facere tentauerit, ea non perflato aere miſta, ſeu copulata corruptionis potius ambientis, quam emendationis fuerint cauſſa. quare ſatis fecerit, qui aerem frigidum calefacere lucemq. vitare docuerit Medicus. neque eorum ſententiam ſequetur, qui aerem frigidum timentes prunas ignitas in thalamis continue ſeruari volunt, aeremq. adeo impenſe calefieri, vt non uulneratis tantum, ſed etiam omnibus adſtãtibus maxime obſit. Sufficiet igitur hiberno tempore, prunas cinere tectas ibi ſeruare, vt ſolummodo aeris impenſe frigidi iniuriam euitemus.

Aeris correptio

mus. nam non minus nimium calidus aer, frigido, capitis vulneribus obeſt. Dum vero vulneri medebimur, vt omnia tepida applicentur curabimus, interim vulnus petijs calidis fouendo, pluresq. candelas decentis magnitudinis prope vulnus accenſas detinendo. Aeſtate vero lucem euitare ſufficiat; vulnusq. dum detectum eſt, eodem modo, quo nuper dixi, fouere; & aerem, qui circa illud eſt, alterare calefaciendo.

CAP. XXI.

HAec ſunt ingenia, quibus in aere noſtro corrigendo vti poſſumus, neque vlla ars datur, qua aerem ipſum ſatis incraſſare, ac ſatis immutare, immutatumq. ſeruare valeamus. Satis ergo ſuperq. inculcatum iam eſt, & ratione ambientis tenuis oſſa denudata alterari; præcipue vero contuſa. quare noſtrũ erit, ſi aerem euitare non poſſumus, contuſioni ſaltem mentem adhibere, ne illa aer tenuis adeo facile alteret, & corrumpat. quod fiet, etiam ſi contuſioni, ob quam facilius corrumpuntur, remedia inueniamus, eaq. in vſum trahamus. Quæ forte cum aliqui neglexerint, in eos ēt cauſſa aliqua mortis in capite vulne-

ratorũ referri poteſt: quorum negligentiã, & ignorantiam, cum numero præualerẽt in conſultationibus medicis, aliquis, licet aliter & rectius ſentiret, ſequi, vt collegiorum leges iubent, eſt coactus. Longe.n.oſſa contuſa, à carnoſis partibus contuſis, in curatione differũt. quia dum carnoſæ partes contundantur, quamuis fiat in eis ſolutio continui, ſanguisq. extra vaſa fundatur, cruor ille tamen, vt plurimum per halitum digeritur. quod ſi illum per reſolutionem curare nequimus ad ferrum confugimus, nihil nos temporis dilatione impediente. partes vero iterum nullo negotio vniuntur. At in oſſe contuſo non ſic accidit, quia oſſa dura ſunt, & terreſtria, et carnis reſpectu longe denſiſſima. ideo non facile pori oſſis compreſſi à medicamẽtis recludun tur, aperiunturq;. quod ſi id tractu temporis fieri concedatur, non prius tamen fieri poteſt, q̃ os contuſum putredinem contraxerit, circumiacẽsq. os ac membranas ſua putredine labefactarit. Quare oſſa colliſa diuerſo modo à carnoſis partibus tractanda ſunt, & curanda. cum.n. oſſa contuſa ſunt, nõ ſolũ meatus ipſorum conſtipantur; ſed ſæpe ſanguis è proprijs vaſis effunditur, qui exhalare non potens putreſcit: & dato quod in oſſis ſubſtantia nihil cruoris contineatur; nihilominus dum pori à contuſione comprimuntur, ac obſtruuntur, ex prohibita perſpiratione corruptio, ſeu putredo reſul

differt curatio oſſiũ contuſor partiũ carnoſo

tat

tat, à qua putridi vapores eleuantur; qui cum exhalare deberent in oſsis ſubſtantia, retinentur, reliquumq. os ſua putredine labefactantes efficiunt, vt in eo calor præter naturam excitetur, membraniſque ac cerebro communicetur, à quo membranæ inflammatione afficiuntur: vel ſi illæ non inflammantur, ſaltem propter vaporum malignitatem id accidit, vt dum os corrumpitur, à membrana etiam ſeparetur. ex qua ſeparatione, & diuiſione ichores reſultant, qui cum exhalare adnituntur, & exire, membranas irritant, inflammant, tandemq. corrumpunt. Hi vero ichores ex corruptione ligamentorum reſultant, quorum medio mēbrana craneo alligatur, dum ipſa ſimul propter oſsis corruptionem putreſcunt. quo tempore ſymptomata à Paullo enumerata apparent, membranam à craneo receſsiſſe indicantia. quæ ſi Medicus exſpectet, nihil poſtea eſt, quod iuuare poſsit, ægro ad certum interitum præcipitante. quando vero hoc accidit, quidam Celſi auctoritate, tamquam clypeo, ſe tegentes, aiunt: Aliquando euenit, ut os quidem integrum maneat, intus vero, ex ictu, vena aliqua in cerebri membrana rupta, aliquid ſanguinis mittat; isq. ibi concretus, magnos dolores moueat, oculos quibus obcæcet. Sed horum pace dixerim, eos melius ſenſuros fore, ſi etiam antecedentia Celſi verba optime ponderarint. Inquit.n. Os

fra-

fractum,niſi ſuccurſum eſt, grauibus inflammationibus afficit, difficiliusq. poſtea tractatur . quibus verbis ſtatim ſubdit : Raro. quam dictionem ab iſtis oportuit non prætermitti.

CAP. XXII.

QVare omnia Medicus pro viribus moliri debet, ut cito & ante quam ſymptomata appareant oſſis colliſi poros cõpreſſos aperiat : & ſi medicamenta non ſufficiũt, ad ferrum confugiat. Dicebat.n. Hippocrat. Quæ non ſanant medicamenta, ſanat ferrum. nota – *Ferro igitur pori cõtuſi oſſis aperiendi, contuſum os eximendo. hoc.n.modo,non os ipſum contuſum,non contuſo oſſi circumiacentes partes,aut membranæ, non cerebrum ipſum corrũpentur. tuncq. ſi quid in cranei ſubſtantia,vel ſub ipſo retinetur, & latet præter naturam,egrediendi uia facta,mortem non accerſit. quę ſequi ſolet,ſi contuſum putreſcere permittamus. Vtitur aũt ferro chirurgus modo os perforando, modo abradẽdo. Dicebat.n.Hipp. Citius exciditur id os,quod pus contraxit,& ipſum transfundit. ex quibus verbis elicere etiam poſſumus Hipp.voluiſſe propter oſſis*

corruptionem in craneo pus oriri, & contineri poſſe, ipſumq. etiam alio transfundere. quæ veritas etiam ex perforandi modo ab Hipp. tradito elicitur, dum inquit, non ſtatim detegendam eſſe membranam; ſed tenuem ipſius cranei partem eſſe relinquendam. ſi.n. huiuſmodi perforationem ob materiam, quæ ſub craneo retinetur, inſtituiſset, non facile quorundam eius mentem non recte percipientium reprehenſiones euitaret: quoniam quamprimum materię ſuper membranas retentæ exitus parandus eſt. tenuem ergo partem reliquit, quia non propter materiam ſub craneo contentam perforat; ſed propter oſsis cranei læſionem. quæ efficit, vt in craneo pus oriatur, & alio transfundatur, indeq. interitus ſequatur. quod nos pluries experiẽtia deprehendimus, ſi verum fateri volumus. quare ea operandi inſiſtendum methodo, quæ longo primum vſu comprobata, deinde etiam optimorum auctorum ſñia, adeo vt nemo iure ambigere poſsit. Quod ſi quis contrariam opinionẽ obſtinate tueri velit, eum rogatum volumus, vt rem diligentius conſideret, & perpendat. ita enim fiet, vt falſas opiniones abijciat, ni prorſus cecutiat, & ignorantiam prauæ diſpoſitionis indutus ſit. ſed quia quoſdam nouimus, qui aliter ac nos ſentiunt, contendentes in propoſita fracturarum cranei ſpecie raro, vel nunquam abradendum, & perfo-

fo-

forandum eſſe os, operępretium: erit adducere in medium rationes, quibus præcipue nituntur; deinde eorum falſitatem detegere.

CAP. XXIII.

IN primis ergo aiunt, ſi craneum abradendum eſt, vel perforandū, vulnus longo tempore aeri expoſitum permanet: vnde præcipue aere frigido exſiſtente labia vulneris crudeſcunt, & concoctio retardatur. tantum enim poteſt vlceris refrigeratio, vt in hanc, & in partium circa vlcus exſiſtentium perfrictionē cauſſam mortis Metrophanti pueri Hippoc. reiecerit, nec ab re, quia contemſit tegere vlcuſculum circa pleiadum occaſum tempore ſcilicet frigidiſsimo, à quo vulnus incrudeſceret.

4 de morbis uul. Fr. Val. in com.

Inſuper os contundi poſſe non uidetur, niſi à magno ictu, ſub quo cerebrum concuſsionē patitur, ideoq. vaſa in pia matre, vel in plexibus coroidis, aut nerui, vel venæ in cerebri ſubſtantia rūpi poſſunt, quod quando accidit, nihil eſt, quod iuuare poſsit. quare æger fruſtra cruciatur, Medicique operatio infamiam ſubit.

Pręterea aliquando reperiuntur aliqui, qui ope-

rationes, quæ ferro fiunt, adeo timent, ut ſi eos abradas, vel perfores, animum affligis adeo, vt hoc aliquando interitus cauſa eſſe poſſit.

Ad hæc contingit ex Carpenſi, quod à re ſuperficialiter incidente remoueatur aliqua cranei pars, nec multũ profunda, à qua facilius cadit dura mater: quia eius ligamenta, quibus mediantibus per poros cranei alligatur almocati, ſunt in profundum magis inciſa, et cõſequenter relaxationi magis apta. & ita ẽt ſuperficies oſsis remota, quæ eſt denſior, quam pars media: & conſequẽter ſanies eſt magis apta deſcendere, ob quod ſæpiſsime contingit mori. Sed ſi verum eſt, quod ex remotione ſuperficiei cranei facta ab inſtrumento reſecante ligamenta duræ matris diuidantur: ob idq. etiã à craneo ipſo recedat, ſaniesq. etiam pp oſsis meatus apertos facilius deſcendat, cur non id etiam propter abraſionem eueniet? quoniam abraſio à Medico facta æque ac reſectio vaſa facere poteſt, vt decidant reſecta. quam vaſorum reſectionẽ ſequitur relaxatio: & denique, oſsis cranei ſuperficie amota, pter ſaniem, etiã aer, per oſsis meatus abraſione apertos facile ingredi, membranasq. ac cerebrum refrigerare poteſt.

Lib. de frac. cranei cap. de ſepa. du. mat. a cran.

Accedit, quod dum os abraditur, vel perforatur, ſæpe ſcalpris, vel terebra vulnus irritatur, caput concutitur, ſimulq. caliditas ex mutuo illo attritu ſcalpendo,

do, vel perforando in eo, & ſubiacentibus, & circunſtantibus partibus excitatur. Vnde humores ad partem fluunt, & trahuntur. quare primum in vulnere, deinde in partibus oſsi ſubiacentibus ſit inflammatio: quam non raro apoſtema ſequitur, & mors. & eo facilius partibus internis inflammatio communicatur. quia dum oſsis cranei ſubſtantiam abradendo, vel perforando demitur, venæ ac arteriæ craneum permeantes diuiduntur: eorumque nocumentum partibus ſibi propinquis communicatur.

Pauci quinetiam reperiuntur, qui operationes, quæ ferro in capite fiunt, præcipue abraſionem, & perforationem tentantes, ea dexteritate, quæ conuenit vti ſciant, vel poſsint, & vnde ſæpe labia vulneris læduntur, dura membrana laceratur. maior.n. pars eorum, qui ad hanc artem accedunt, paupertate premuntur. quo fit, vt fere omnes periculis alienis diſcant, dum ſpe lucri allecti, antequam artem perfecte didicerint, à præceptoribus diſcedunt. ſæpeq. etiam fit, vt illi, qui ſuperbia quadam ducti nobiliſsimam hanc artem exercere dedignantur, cum ipſi ægrotauerunt ad tironum horum manus perueniant, & ſuæ ſuperbiæ aliquando pœnas luant.

Id etiam difficultatem facit, quod craneum non undiq. æquale conſpicitur. in nõnullis.n. partibus illud

cer-

cernitur tenuius; in alijs, craſſius. præterea vaſis, qui in dura membrana ſunt aliquibus in locis ita cedit, vt in craneo canaliculos quoſdā exſculptos cernere poſsis, propter quos craneum inæquale redditur, præcipue in laterum partibus, & circa tempora, vbi venæ craſsiores ſunt, & vbi ſagittalis cum coronali ſutura coit. ibi enim propter vaſorum, quæ in dura menynge ſunt extuberantiam, ac craſsitiem craneum inæquale eſt, dum venis ipſis cedit. ideo quando craneum perforatur, q̃uis omni dexteritate vtaris, aliquando accidere poteſt, vt, antequam ad meditullium peruenias, in altera circuli parte, vbi os tenuius eſt terebra membranam laceres.

Tandem ſæpiſsime contingit, vt colliſio ſit circa ſuturas, vel ſuturas ipſas occupet. quod cum accidit difficultates auget, præcipue quo colliſio ſuturæ proprior fuerit, adeo vt ſi ſuturas ipſas occupet, eas perforari non expediat: ſed ab illis, vt iuſſit Hippocr. recedere neceſſarium ſit; proximumque os ſecare, aduertendo quod, non ſemper in vno latere ſuturæ, ſed vt optime Neoterici ſenſerunt, aliquando in ambobus ſuturæ lateribus perforatio facienda eſt. Sed ponamus cranei læſionem eſſe in medio ſuturæ, vulnusq. vt ſæpenumero accidit anguſtum eſſe, ſi, iuxta Hippocratis ſententiam à ſuturis recedendum eſt, magnam diſciſsionē

in

in vulnere facere oportet. quod ſine ingenti periculo fieri non poteſt; quia, quodcunque magnum eſt, ut Celſus inquit, & alij, periculum facit. ſi vero vulnus ampliare voluerimus, & ſuturas perforare membranam ſuturas egredientem lædimus. quæ læſio ex omnium ſententia mortalis eſt.

Ut hoc etiam non omittam, quod ſi craneum perforetur, præterquam q̃ operatio iſta periculis plena iudicatur, ſanitas in longum protrahitur, adeo ut vulnus, quod quindecim, vel viginti dierum ſpatio curari debuerat ad menſes nõ raro pertrahitur.

Quare his rationibus ſtantibus nõ ſolum à cranei perforatione, ſed etiam ab eius abraſione abſtinendũ; & eo magis, quia, quoties poſt perforationem, aut abraſionem æger moritur, vulgus mortis cauſſam in Medici operationem reijcit ita, ut ipſe, eiusq. operatio infamentur, ſtante etiam, q̃ nõ deſunt, qui faciliori admodum via, nempe potionibus, pulmentisq. & ſimilibus huiuſmodi vulnera curare profitentur, alias omnes rectas etiam Hippoc. operationes damnantes, quæ in capite ferro præcipue fiunt, prætendentes magnum periculum, quod ferramenta, dum abradimus, vel perforamus, ni admodum caute adminiſtrentur, adferre ſolent.

CAP. XXIV.

HAe ſunt rationes, quæ fugiẽdam eſſe cranei abraſionem & perforationẽ ſuadere videntur, pręcipue in cranei læſionibus ſenſui non adeo cõſpicuis. Verum, ne quis eas amplectatur, et vt dogmata perpetuo ſeruanda exiſtimet, quibus rationibus fulciantur, qui ferro vtendum volunt, dicemus, ab Hipp. initio facto. Ita enim quid pro curatione vere ſentiẽdum ſit, clarum euadet. Hippoc. ergo, poſtquam oſtendiſſet modum, quo vulnus in capite ſecandum eſt, vt appareat lęſumne os à telo fuerit, an non, inquit: Poſtridie vbi linamenta ſubtraxeris, inſpiciendum eſt, quo malo teneatur os. quod ſi cuiuſmodi noxa fuerit, comprehendi nequeat, nec conſpicuum ſit, num mali aliquid ſenſerit, probabileq. ſit telum os attigiſſe, ipſumque violaſſe, ſcalpro radendum os eſt in latitudinem, ac longitudinem hominis, atque etiam tranſuerſum, propter rimas, quę conſpectui non ſubijciuntur, & propter colliſa quæ latent, cum os non diſcederit ab alio capitis oſſe recedens. ſcalpro.n. deprehenduntur oſsis vitia, ſi alioquin manifeſta non fuerint. Ecce quid Hippoc. de abraſione ſenſerit, quam non adeo timet, vt laten-

latentem rimam & colliſionem. hanc.n.nõ ſolum vult tentandam eſſe, quando cranium læſum cognoſcimus; ſed etiam quando de eius leſione incerti ſumus. quia rima latens ſaniem in oſſis ſubſtantia gignere, vlteriusq. etiam ad membranam & cerebrum ducere poteſt, & interitum cauſſare. De colliſione vero cur ſollicitus eſt? niſi propter oßis colliſi putredinem imminentem, quæ vt oſtenſum eſt, vt plurimum oſſa colliſa ſequitur. ſed forte dicet aliquis, nõne potero ſignis diagnoſticis in colliſionis cognitionem deuenire? Huic reſpondeo id forte fieri poße, verum ſerius nonnunquã quam par ſit; terminum autem rimæ, vel colliſionis per ſigna cognoſci non poſſe, niſi experimento per abraſionem facto. vnde optima ratione Hippoc. pręcipit craneum eſſe abradendum. quia ſi rimam, vel colliſionem ad membranam peruenire nouerimus in perforationis neceſſario faciendę cognitionem deuenimus. Si vero cranei tantum partem occupare reperiemus, colliſam partem abraſione eximendo curandi ſcopo ſatisfacimus. Adde quod ſtatutum ſuperius fuit ex Auicen. & Neotericorum melius ſentientium auctoritate, quod colliſio poros oſſis comprimit; quod ad horum compreſſionem calor natiuus exſtinguitur. quod eo facilius accidit, ſi cruor in oſsis ſubſtantia continetur, qui egredi non poſsit: quoniam oſsis temperamentum ſol-

uit, non ſolum in colliſa parte, ſed etiam in circumiacente, adeo vt membranæ & cerebrum corrumpãtur: dictum eſt etiam, quod hoc promtius euenit, ſi in parte colliſa fuerint vaſa aliqua inſignia, quæ craneum permeent. tunc.n. vaſa ipſa colliſionem perpeſſa corrumpuntur: cumq. vapores, qui ex corruptione eleuantur, egredi non poſſint, primum os; deinde partes illi ſubiectas, niſi ijs exitus paretur, corruptione afficiunt, interitumq. ineuitabilem adferunt. Itaq. Hipp. hiſce cauſſis adductus optima cum ratione abraſionem inſtituit, & perforationem. Neque nos ab huiuſmodi operationibus abſterrere debet concuſſio, humorumq. ad affectam partem attractio. quam quidam adeo uidentur timere. vt.n. non negamus abraſionem, & perforationem aliquod damnum inferre poſſe; & aliquando etiam, niſi rite inſtituantur, & fiant, interitum: ita etiam eum, qui huiuſmodi operationes aggredi debet, volumus primum dexteritatem longo ſatis vſu comprobatam; ſecundo ferramenta ad opus perficiendum congrua; tertio Anatomes peritiam omnino poſſidere; qui.n. ad has operationes in caluaria perficiendas ſe accingens huiuſmodi cõditionibus prędítus fuerit, paruum aut nullum inferet nocumentũ. facile.n. optimi ac peritiſſimi nauis gubernatoris more nauigando ſcopulos euitabit, & nauim ad ſalutis portum

Medicus q ad perforãdum accedit etia habere debet.

diriget

diriget, & deducet. quod nequaquam rudis & inexercitatus aſſequi poterit, niſi fortuna, aut caſu. quibus, qui actiones ſuas committunt, rariſsime optimum ac optatum finem conſequuntur. & quamuis Carpen. rationem reddens eorum, quibus cranei ſuperficies reſecatur, interitum ſequi dicat ob ligamentorum diuiſionem, ſeu abſceſſum, quibus mediātibus membrana pericraneo alligatur, propter quorum ſeparationē membrana ipſa à cranio recedit: ſi tamen nos rem diligentius examinauerimus, comperiemus non ſemper hanc eſſe cauſſam, quæ hoc modo vulneratis mortē afferat. Nam quando cranei ſuperficies inſtrumento reſecante amouetur, tametſi inſtrumentum reſecans ex eorum numero ſit quę libere incidunt: nihilominus non ita libere partes ſeparari poſſunt ſoluta continuitate, quin aliquo modo etiam cranium contundatur. etſi.n. pars, in quam ſe inſerit inſtrumenti acies, libere expediteq. incontuſa ad ſenſum reſecari videatur: attamen inſtrumēti ferientis pondus ſemper deorſum tendens, & violenter itidem impulſum, cū ſibi aditum, viamq. premendo inſigniter faciat, aliquam neceſſario contuſionem imprimit; & eo facilius, quia pars ſub inſtrumento incidente relicta, poſt ſuperficiem oſsis reſectione amotā, multo tenuior eſt, aptiorq. ob id ad contuſionem admittēdam, & maxime inepta ad reſiſten

dum. quare non tam ob vaſorum præciſionem, quam ob contuſionem hoc modo vulneratis membrana à cranio recedit, & interitus ſequitur. Quod autem inſtrumentum reſecãs partibus ſibi ſubiacentibus contuſionem imprimat, clare nobis demonſtrauit caput cuiuſdã exſulis hoc anno in publico proſtans foro, vbi exſulum capita recognoſcenda ponuntur. cum.n. illius ſecandi nobis eſſet facta copia, partis capitis dexteræ vulnus ab inſtrumento reſecante factum conſiderantes inuenimus craneum reſectum vſque ad membranas. membrana vero exterius nihil læſa apparebat: neque inter craneum & ipſam, vel in parte vulneri circumſtante cruor aliquis cernebatur. dum vero membranam duram, ſeu primam aperiremus, magnam cruoris quantitatem inter ambas membranas reperimus. vlterius etiam procedentes totam cerebri partem vulneri ſubiectam cruore aſperſam vidimus, magnum validæ contuſionis argumentum. cuius veritatis certiſſimum teſtimonium reddere poſſunt, non minus Nobiles, quam Excell. Phyſici Ianuarius Corregius, & Paganus Turrianus, qui ambo, cũ huic anatomæ interfuerint, rem diligenter conſiderarunt. Quare quæ reſecant & incidunt, ſimul etiam neceſſario contuſionẽ abſque dubio inducunt aliquã. Neque.n. cruor ille inter vtrasq. mẽbranas, & in cerebri ſubſtantiã effundi potuiſſet in

caſu

caſu propoſito, niſi interuentu contuſionis. Ceterum in ſimili vulnere capitis, quoties caluariæ pars extrema & ſuperficies remouetur ab inſtrumẽto reſecante, Carpus laudat perforationem, cui nos quoque aliquando aſſentiendum putamus: ſed de hoc alias. Neque.n.verum eſt, quod propter vaſorum pręciſionem mors ſequatur. alioquin abraſione nunquam vtendum foret, quoniam abradendo ſimiliter vaſa præciderentur, & mors ſequeretur. quod tamen numquam ſequi arbitror. infinitæ enim abraſiones non in ſuperficie tantũ, ſed ſæpe etiam vſque ad meditullium, & vltra ſemper à Medicis factę fuere; & quotidie fiunt, nulla ſubſequente noxa. neque quoties in huiuſmodi cranei præciſionibus interitus contingit, vt accidit ſeruo Perilluſt. Equitis Marci Antonij Gromuli, eſt cauſſanda vaſorum pręciſio; ſed contuſio potius. Pręterire ſilentio quoque hoc loco non poſſum contra Carpen. alioquin doctiſſimi viri opinionem, quod in huiuſmodi præciſionibus non ſemper craneum perforandum cenſemus. quia fieri poteſt, vt contuſio ſuperficiem tantum occupet. quo caſu ſola abraſio ſufficit. Nam, vt dictum eſt, membrana, non propter cranei præciſionem, ſed propter contuſionem ab inſtrumento reſecante relictam à craneo recedit: non recedit vero, ſi os contuſum abradendo à corruptione pręſeruemus: nec

mo-

moritur æger, ſi in contuſione ad membranam peru- niente perforatione vtamur. Neque vaſorum ruptr abſterrere nos debet ab eiuſcemodi operationibus. qui vaſa inter ambas membranas, & ſub ipſis, tam inte- gra permanere poſſunt; quam rumpi.

Alioquin ſi illi, quibus craneum contuſum eſt, ha- ratione neque abradendi, neque perforandi ſunt; erg neque quibus craneum valde contuſum eſt, & ap- parentem fracturam patitur. quoniam ſi ſub minor ictu, vt ille eſt, à quo ſimplex contuſio fit, vaſa rum- puntur, quid erit, quando craneum perſpicue fractum eſt? Nemo enim inficias ibit à maiori ictu, & à qu os cranei frangitur, vaſa quoque, vt frangantur, & lacerentur, magis periclitari. quo fit, vt optime ratio hæc concludat. Si in quibus vaſa rumpuntur in tenu membrana, aut cerebri ſubſtantia, abraſio, aut perfo- ratio non conuenit; ergo neque in alijs cranei læſioni- bus. Quare id incõmodum, & abſurdum ſequeretur, vt ſolummodo pulueribus cephalicis, pulmentis, au emplaſtris, alijsq. huiuſmodi deliramentis, & ineptiu capitis vulnera tractanda eſſent. Aſſerimus ergo & tuemur in caſu propoſito, non propter adductam ratio nem, abraſionem, aut perforationem eſſe omittendam Quid.n. noces ijs, qui vaſa rupta habent abradendo vel perforando? Quod ſi omnes colliſum craneum ha-

bentes

bentes ſine abraſione, aut perforatione curare tentaueris, inter eos aliqui erunt, qui craneum quidem contuſum habebunt, verum ſine ſubiacentium partium læſione, quos, ſi ſine ferro curare aggrediaris, nõ ſanabis, ſed occides. Demus etenim, quod ex centum numero, ſeptuaginta tm̃ rupta vaſa habeant in pia matre, aut in cerebro, niſi omnes centum abradas, vel perfores, triginta quoque contuſum craneum habentes ſine ſubiectarum partium læſione, qui curationem admittunt, ſimul cum alijs morti trades. At forſan dices: id ipſum propter perforationem, aut abraſionem eueniet: quoniam caput in huiuſmodi operationibus concutitur, incaleſcit, et ſæpe dolet. vnde præcipue in exquiſito ſenſu præditis, humores ad partem trahuntur ita, vt poſſit fieri inflammatio, & mors. Reſpondeo hoc aliquando, ſed rariſſime, aut vix accidere, cum operationes iſtę, ut decet, peraguntur. Et multo maius, immo longe maximum impendet periculum à putredine, in, vel ſub craneo contẽta; quam ab inflammationis timore: quoniam eam diuerſis præſidiis præuenire, & arcere poſſumus. Neque etiam ſi colliſio ſit circa ſuturas, vel in ſuturis ipſis, à perforatione, aut abraſione apte & conuenienter adminiſtrata abſtinebimus. Nam hic quoq; maius periculum imminet à ſanie ſub ipſis, vel in ipſis retenta, quam à læſione membranæ ſuturas egredien-

si collisio sit circa su- / uras, aut in suturi

tis

tis ferro factæ. quam tamen ſi diligentes fuerimus nõ adeo difficile euitare poſſumus. Ceterum antequam de huiuſmodi operatione loquamur, notandum, ſi ſutura naturaliter laxa ſit, vt aliquando in pueris reperitur, adeo vt ſanies per ſe egredi poſſit, à chirurgica operatione nos aliquando iure abſtinere poſſe, etiam ſi ab huiuſmodi operationibus deſiſtere nos minime cogat læſio vaſorum craneum permeantium. Quis.n.dubitat, dum craneum colliditur, vaſa etiam per ipſum reptantia ſimul colliſionem pati, colliſa putreſcere, eorumq. putredinem partibus internis communicari? Hæc profecto euitas quoties abradis, uel perforas, prout expedire videbitur. Tunc.n.viam omni putrilagini, putridisq. vaporibus aperis, qui etiam vaſorum contuſorum putredine reſultãt. Neque etiam timendus puris ex vulneris concoctione facti, aut aeris, ingreſſus, & penetratio per cranei poros abraſione apertos. Docet.n. Gal. & tota Medicorum Schola magis vrgenti attendendum. magis vero vrget putrilago, & ſanies in cranio, vel ſub ipſo contenta, quæ à cranei colliſi putredine manare ſolet; quam puris, aut aeris ingreſſus. facilius.n.& nullo negotio aeri & puri ne eo ingredi ualeant obſtabimus; quã putredini oſsis col-
li.8.c.4. liſionem patientis. nam vt antea ex Celſo retulimus os fractum, niſi ſuccurſum eſt, grauibus inflammatio-

tio-

tionibus afficit, difficiliusq. poſtea tractatur. Neque etiam curationis dilatio timẽda, aut magnifacienda. expedit.n.ex Hipp. ſentẽtia, morbos non ita breui tempore, ſed tamen tuto, & ſecure curare; quam breuiori tempore, & cum relapſu, aut grauiorum malorum metu. Quare Medicus ſuo fungi munere ne timeat: quoniam Deus recte operantiũ eſt director, & auxiliator. & quidquid imperiti poſtea dicturi ſint, flocipendat, atque omnia, quę à veteri, & Hippocrat. Medicina, eiusq. admiranda recedunt methodo reijciat; pręcipue vero modos curandi per pulmenta, emplaſtra, aliaq. huiuſmodi deliramenta impoſtorum quorundam, adeo quandoq. ineptorum, & imperitorum, vt etiam propriam ignorẽt vocem. quibus omnino Galen. Paullus, Auicenna, & aliorum optimorum auctorum Schola vniuerſa refragatur.

CAP. XXVII.

NON poſſum hic diſſimulare cuiuſdam ſententiam, alioqui viri docti, qui falſo Auicennam cranei rimas, ſiue fiſſuras non penetrantes non eſſe abradendas voluiſſe affirmat. quod ſi verum eſſet, neque etiam in Paul. Iuliarius.

K colli-

colliſione ſimplici abradendum foret, vel perforādum. ſi.n. in maiori cranei, vt ille aſſerit læſione, cuiuſmodi eſt ſciſura, cui etiam colliſio ex Hippocra. neceſſario adnectitur, abradendum, aut perforandum non eſſet; multo minus in minori læſione, vt eſt ſimplex colliſio, id eſſet faciendum. Falſus vero is eſt, dum adſtruit abraſionem in rima, ſeu ſciſſura non penetrante non eſſe tentandam: quoniam auctoritatis Auicennæ non totam ſententiam; ſed eam ſolummodo partem capit, quæ opinioni ſuæ corroborandæ inſeruire videtur: Verba Auicennæ ſunt: Vulnerum capitis vſque ad terminum almocati cura eſt illa, quæ iam dicta eſt in capit. vlcerum, & ante ipſum. Findentia vero &c. quibus ſubdit: Minores diſpoſitiones fracturæ oſſium in capite, ſi accidit in eis ſciſſura parua non penetrans vſque ad latus aliud. Quibus verbis, qui ſequentia non conſiderauerit, fortaſſe illi videbitur Auicennam voluiſſe iſtiusmodi cranei læſiones ſine abraſione curandas eſſe. quod omnino ab Auicēnæ mente recedit. ſequitur.n. Auicenna, dicens: Immo ſuccedit apud quædam experimenta, & ſimilis iſti magis rectum eſt iterum, vt frices illud vſque quo non remaneat de ſciſſura aliquid. quinimmo Auicen. vt ad finem ipſius ſciſſuræ veniamus, & ne rima latens nos decipiat, addit: & ſi amas, vt certificeris,

L. 4. f. 5 tr. 3. c. 1

ceris, feſtines cum effuſione humiditatis nigræ, donec vehemens fiat apparitio ſciſſuræ, per eam fac, & frica donec non remaneat veſtigium. Deinde ſtatim poſt ipſius rimæ ſiue ſciſſuræ perfectam abraſionem pulueres cephalicos proponit, dicens: cumq. fricueris, administra medicinam capitalem, & ſufficiet tibi. non proponit autem capitalia medicamenta antequam os abradat, & ſciſſuram deleat; ſed tantum poſtquam ſciſſuram deleuit. Vnde tantum abeſt, vt Auicen. in præſenti caſu non abradendum voluerit; vt potius e contrario rimam omnino & perfecte remouendum eſſe ſtatuerit, donec ipſius nullum relinquatur veſtigium. voluerit non autem ſuperficietenus, & leuiter. cuius mens eo clarior, vt ſupradictum fuit, apparet; quia capitalia medicamenta nonniſi poſt abraſionem proponit, ſignificare omnino volens cephalicis nos fruſtra vti, niſi prius rima perfecte fuerit obliterata. Quocirca rationes in contrarium adductas flocipendentes, ſi os eſſe colliſum cognouerimus, vt periculum, quod colliſionem ſequitur, euitemus, modo abradendo; modo perforando, vt res poſtulare videbitur oſsis meatus à contuſione compreſſos aperiemus.

CAP. XXVIII.

MAxime tamen enitendum, & oĩs ingenij acies in id eſt dirigenda, vt in certam colliſionis cognitionem deueniamus . ea etenim cognitu adeo difficilis eſt , vt in eius agnitione interdum, vel exercitatiſſimi Chirurgi decipiantur, colliſum nõ colliſum accipientes; & econuerſo . Quod minime mirandum: quia colliſio eſt fracturæ cranei ſpecies haudquaquam oculis conſpicua, & quam neque ſpecillo deprehendere liceat . Quandoquidem ait Hippocr. Collidi os poteſt, quamuis in ſuo ſtatu ſeruetur, & colliſo rima non accedat. neque enim vbi quid colliſum eſt ab ictu, protinus quod colliſum eſt , & malum ipſum oculis patet . colliditur enim os, ſic ut colliſum non appareat. Non apparet autem colliſio , quia dum os colliditur in ſuam ſubſtantiam contrahitur , & reſiliens in priorem ſtatum fracturam occultat. quia in oſſe continuum ſoluitur, non iuxta magnas , ſed iuxta minimas oſsis particulas per compreſſionem ſubſtantiæ oſſeæ ita, ut atteritionem imitetur . hoc autem fieri alicui impoſſibile videri non debet: quia, quamuis os durum ſit, in animali tamen viuente non eſt aridum; ſed vt plurimum

Fal.lib. de uuln. capit.& Vertun. li. de ca pi.uuln.

ſan=

ſanguine, humiditateq. plenum. ideo fit, vt non ſiccioris corporis more atteratur; ſed aliquo modo in ſeipſum contrahatur, & concidat; deinde ictu ceſſante etiam reſiliat. vnde efficitur, vt & in priorem ſtatum ad ſenſum ſaltem attolli et redire appareat; colliſumq. oculis non colliſum videatur; Medicumque non exacte, ac diligenter omnia rimantem decipiat; ſæpeq. incautum, & imprudentem deludat: cum nec oculis, nec ſpecillo rima, aut inęqualitas percipiatur vlla, quæ oſſis læſionem oſtendat. Itaque reſtat, vt ratione exploremus quod ſenſu aſſequi non licet.

CAP. XXIX.

ID vero in primis difficillimum fuerit, niſi prius ſpectemus, qua parte capitis homo vulneratus ſit; num in imbecilliori, aut validiori. quia in ipſo craneo ſunt partes, quæ facilius, difficiliusve offenſam ſentiunt, quas, vt in læſionis cognitionem veniamus, pręcognoſcere oportet. Capitis igitur pars, quæ inter frontem & verticē eſt, eodem Hipp. teſte, infirmiſsima eſt. nō eſt autem ex huiuſmodi ſententia intelligendum, quod vertex ſit, vbi ſagittalis cum coro-

p.a obseruatio In parte uulnerat

pars anterior capitis

pars posterior capitis –

ossa syncipitis, seu bregmatis, et vulgo parietalia q[uod] ea sutura comunis est quę recta per capitis longitudinẽ fertur. hæc quadrilatera sũt, crassa, sed cauernosa, rarissima, et infirmiss[ima]. Vassaeus tabula 3ª –

ronali coit.(hæc.n.eſt pars ſyncipitis;) verum in parte capitis poſteriori, nempe in ipſo occipite. ibi.n.hominis verticem, ſicut & brutorum, eſſe Hipp. voluit, qui totam oſsis cranei ſuperiorem partem, à ſyncipite ad os occipitis tendentem, infirmiſſimam eſse propoſuit, et recte; quia pars hæc, præter frontis os, brigmatos etiã, .i.ſyncipitis oſſa, vulgo parietalia vocata comprehẽdit. Hę partes laterales, quamuis craſſæ ſint, ſunt tamen cauernoſæ, rariſsimæ, & infirmiſsimæ, pręcipue in ea parte, & prope eam, quæ ſagittalem ſuturam conſtituit. hanc enim partem ceterarum partium capitis debiliorem, infirmioremq. eſſe voluit Hippocr. inquiens: Sutura, quæ nudato oſſe in plaga conſpicitur, quacunque parte capitis vulnerata telum ſuturæ inſederit, ad reſiſtendum, & ictui, & telo infirmiſsima eſt. vt, cum maxime, vbi regio inter frontem & verticẽ, qua caput infirmiſsimum eſt, percuſſa fuerit, ad ſuturas, quas telum attigerit. Cerebrum.n.inter frontem, & verticem celerrime ac maxime ſentit id malum, quod accipit os et caro. tegitur.n.hac parte oſse tenuiſſimo, carne etiam pauca, plurimumque cerebri inter frontem & verticem continetur. Præter has ſunt ſuturæ omnes, inquit Hipp. quacunque parte capitis vulnerata telum ſuturæ inſederit ad reſiſtẽdum & ictui, & telo infirmiſsima eſt. à ſimili.n. telo eiuſdemq. magni-

gnitudinis,aut etiam minori ictu,æque graui,vel etiã leuiori,multo magis homo lęditur,ſi telũ ſuturas attigerit;quam ſi alias partes. Rumpuntur aũt maxime à grauibus et rotundis telis; & ex his,quæ ex ſub contrario afferuntur,& non ex plano loco. Et ſicut ſuturæ facillime læduntur,ita earũ læſio difficile admodum cognoſcitur,& curatur. Contra robuſtiora ſunt,os occipitis,quod reliquis oſsibus, & anterioribus,& ſuperioribus craſsius eſt, plurimaq. carne contegitur; & pręterea oſſa poſt aures petroſa appellata, quæ craſſa ſunt,copioſioreq. carne ac cute craſsiori et duriori conteguntur. quo fit, vt non adeo facile,ſi in eas partes telum feratur,collidãtur. Conſiderandum quoque eſt, an homo oſſa capitis naturaliter imbecilla, aut valida; tenuia,vel craßa; duriora,vel molliora habeat; ſimulq. percuſsi ætas. nam molliora,& tenuiora mulierum, q̃ virorum; & puerorum,quam mulierum;et adoleſcentium,quam conſiſtentium hominum crania. Quare ſecundum ſexus, & ætatis differentiam facilius, difficiliusq. oſſa colliduntur. Puerorum oſſa tenuiora ſunt, & molliora, quoniam plus ſanguinis habent, & caua ſunt,non dura, non denſa,non firma: atque vbi à telo pari,aut etiã imbecilliori æqualiter, aut etiam lęuius vulneretur tenerioris pueri os, magis ac citius purulentum euadit, quam robuſtioris.

CAP. XXX.

Interrogationes q̄s medicus ubi debet

His viſis optimeque conſideratis, qui vulnus habet interrogãdus eſt, quonam inſtrumento fuerit percuſsus; & qualiter; & quomodo. quam, etenim noxam oſſa colliſa ſenſerint, ſpecillo deprehendi non poteſt. Quare vt in eius cognitionem veniamus ratione opus eſt. Ergo qui vulnus habet, interrogandus eſt, qualiter, & quomodo ſit vulneratus: puta an ſuper aliquod durum ceciderit; an ab altero fuerit percuſſus; an aliquid ſuper eius caput ceciderit. Si.n.ſuper aliquod durum lapſus fuerit, quærendum denuo, an ex ſe non aduertens; an ab altero valenter impulſus corruerit. Item an ferienti, ſeu collidenti obuiam iuerit; & an ab altiori, ſiue depreſsiori ceciderit loco; & an cadens aliquo modo fuerit impeditus: nam quanto cadens grauior & non impeditus ab aliquo medio, & locus altior fuerit; eo etiam maior colliſio æſtimanda erit. Si vero ab altero quis fuerit ictus, interrogare oportet, num percuſſor iuuenis, & viribus valens exſtiterit; idque magno cum conamine, & impetu perpetrarit; & data opera, animoq. irato, aut quieto plus minusue. At ſi aliquid ſuper caput ceciderit, videndũ

an

an quod cecidit corpus, ab altiori, aut depreſſiori loco deſcenderit; & an in caput nudum, an tectum; & quo operimenti genere opertum, & defenſum. poſtea vtcumq. ſors tulerit, ſiue homo ſit p ſe ictus, ſiue ab alio vulneratus, ſiue quomodocunque aliter in caput lapſus, aut ictus, diligentiſſima inquiſitio inſtrumenti, à quo prouenit percuſsio, indaganda erit; fuerit ne graue, aut leue; æquale, vel inæquale; obtuſum, vel acutũ; durum, vel molle; angulare, puta trigonum, vel quadrangulare, vel teres, aut orbiculatum, vel quapiam alia figura præditum. Ad hæc videndum erit, an ſecundum ſe totum ictum fecerit, an ſecundum partem; et an perpendiculariter, an potius oblique, & in latus delatum; vel etiam à feriente impulſum. Vt .n. quis ita vulneratur, vt e regione ad lineam rectam telo occurrat, ſiue telum manu teneatur, ſiue iaciatur, ſiue quid per ſe ſuper os incidat, ſiue etiam homo cadendo vulneretur, vel quomodocunque ictum patiatur, oſſe e regione ad rectam lineam offendenti cauſſæ occurrente, tum vel maxime periclitatur os, ne cum alias omnes offenſas, tum etiam colliſionẽ ipſam patiatur. Sub telis vero, quę oblique, & in latus feriunt, os minus findi, collidi, ac diſsidere ſolet, etiam ſi nudetur. Conſideranda etiam vulneris quantitas & figura, ſcilicet, an longum, vel breue; rotundum, vel cum angulis,

1.ª consideratio instrumẽti uulnerātis qualitas.

2.ª consideratio uulneris quātitas et figura.

L ſeu

ſeu attritum, an pars cutis, vel carnis, vel alius rei inciſæ ab aliqua vulneris parte pendeat. itemq. an cutis, vel caro inciſa tantum ſit, aut etiam contuſa uideatur: et an ęqualis ſit pericranei ab oſſe ſeparatio. fieri enim poteſt, vt magis quam vulnus pateat & monſtret, à caluaria pericraneon abſcederit. Tandem etiam ſymptomata conſiderāda ſunt, vt caſus, vertigo, vocis priuatio, rationis læſio, et bilis vomitus. Huiuſcemodi.n. ſymptomata, ſi cranei denudationem ſequantur, eius etiam læſionem demonſtrant: quia nonniſi magnum ictum conſequi ſolent, à quo etiam cerebri ſubſtantia, vel membranę læſionem ſenſere. Nō poteſt aūt ab extrinſeco ea partibus internis cōicari, niſi prius magna offenſa craneo illata fuerit. Vnde recte præcipit Celſus: Vbi caluaria pertuſa eſt, requirendum num bilem homo vomuerit; num oculi eius obcæcati ſint; num obmutuerit; num per nares, aureſue ſanguis ei effluxerit; num conciderit; num ſine ſenſu quaſi dormiens iacuerit. Hæc.n. nonniſi oſſe fracto eueniunt. Quapropter cum ſub ictu craneum denudatum eſt, neceſſario ea arguunt cranei læſionem; niſi forte qui cecidit in caput, aut aliter ictus fuit, antea quoque imbecillis natura exſtiterit, vel per morbum ſolitus vomere, animo linqui, vertiginis caſum, & alia his ſimilia pati. tum .n. propoſitis ſymptomatibus fides adeo firma non erit

prę-

præſtanda; ſed ſimul & reliqua erunt conſideranda. Contra accidit quoties cute integra permanente huiuſmodi ſymptomata apparent. tum.n. raro craneum indicant; ſæpiſsime vero cerebrum concuſsionem ſenſiſſe. Ego certe aſſerere poſſum, neminem hactenus me vidiſſe ex huiuſmodi cerebri concuſsione mortuum, quamuis omne genus eiuſcemodi ſymptomatum cerebri læſionem indicantium ſuperueniſſet, tam adultis, quam pueris, aut alterius cuiuſque ætatis, aut ſexus ægrotis capite ictis, qui ad manus meas peruenerunt. ex quibus mihi alias ſe obtulit ſenex quidam rusticus, qui ex porticu cadens alto ſenſu & motu deſtitutus iacens ſtertebat: ſanguis per nares aureſue manabat: vſque ad ſeptimam diem amens: uix etiam cibum retinebat: nec tamen vlla affuit cranei læſio; verum ſola cerebri concuſſio. Nonnulloſq. poſtea ſimiles caſus obſeruaui, quibus omnia ſymptomata cerebri læſionem indicantia ſuperuenerunt. qui omnes nihilominus Dei beneficio ſanitati reſtituti adhuc viuunt, vt ſilentio inuoluam nobilem quandam Matronam, quæ ex caſu in eum locum capitis, qui ſupra tempus ſiniſtrum eſt, grauiſſima & letalia plus minus, ad quadrageſimum vſque diem, & ultra, ſingulis propemodum diebus criticis ſenſit ſymptomata,

casus.

ex pravis symptomatibus vivere.

casus.

L 2 ſe=

febrem, rigores, conuulſiones, vomitus bilioſos, animi deliquia, ſudores ferme diaphoreticos, dolores, palpitationem, & alia ſæuiſsima, conualuit tamen: licet pulſatio cordis thoracem tangenti hactenus non ſentiatur. id quod non aliunde uidetur ſecutum, quam quod ex vehementi caſu ſitum aliquo modo cor permutauit. quod Cardanus ipſe etiam in tribus lapſis ab alto ſe obſeruaſſe ait: quorum tamen vnus tantum conualuit. Quare quoties cutis integra eſt, aduertant Chirurgi, ne ad ſectionem audeant properare, uel præſentibus hiſce, vel ſimilibus ſymptomatibus alijs: quoniam non cranei, ſed eorum, quæ ſub illo ſunt partium læſionem oſtendunt. alioquin necem ægris adſciſcent, ſi temere cutem incidant, aut craneum denudent. quia quamuis integra manente cute cerebri ſubſtantia, & membranæ læſionem ſentiant; craneum tamen raro lædi & frangi ſolet: quia inſtrumentum contundens, & carnem non rumpens planum ferme eſt, & retuſum, vixque eminentiam habet, qua caput pungat, ſeu rumpat, craneum denudet & lædat. ideo ſub huiuſmodi inſtrumento cerebrum, & membranæ concuſsionem fere ſemper pati ſolent, quam ſymptomata propoſita ſequuntur craneo illæſo. Non mortē aliquando negarim ſequi poſſe: ſed dico craneum raro lędi, quoniam ſymptomata iſta ſæpiſsime, vt

In Art. par. me.

nota

Fer-

Fernelius inquit, contingunt, concuſſo dumtaxat cerebro. Itaque fieri poteſt, vt ſymptomata dicta craneo denudato, vel non denudato, aut cute integra ſuperueniant. Si craneo denudato adueniant, neceſſario eius læſionem arguunt. ob idque modo abradendum, modo perforandum eſt os. Si vero cute integra permanente ſuperueniant, raro eius læſionem indicant. Quare ſolis illis non ita eſt attendendum, vt ad cranei denudationem veniamus, etiam ſi ad tactum, vel ex ratione aliqua veriſimiliter iudicaremus oſſa eſſe læſa; qm̃ ita quoq. aliquos euaſiſſe vidi. Si vero à contundẽti inſtrumento craneũ denudetur, nullaq. ex enumeratis ſymptomatibus appareant, læſum ne craneum, an illæſum eſſe dicemus? quia multos ſine aliquo eiuſmodi ſymptomate comperi, non ſolum craneum læſum, ſed et manifeſte fractum, mẽbranãq. laceratam habuiſſe. quod omnibus in chirurgicis operationibus exercitatis patere arbitror. Aſſerimus igitur craneum non ſolum leuiter contundi poſſe; ſed ſæpe certam fracturam pati, nullis ſimilibus ſymptomatibas interuenientibus. Quare illi nullo modo audiendi, qui dicunt: craneum denudatum eſt, ſed in hora ictus non cecidit homo, nõ vomuit, non vertiginem, aut oculorum obſcurationem paſſus eſt; ergo craneum integrum eſt, & illæſum. Immo contra, quoties craneum denudatum eſt à con-

L.7.Patho.c.10

Dubitatio non apparẽtib9 pra[...] is ſymptomatib9 an craneum leſũ eſſe po[...]

tun-

tundente,nec læſio oculis,aut ſpecillo inuenitur,omnia pro viribus tentanda,vt an læſum ſit alijs inditijs cognoſcamus;quia ſępiſsime latet anguis in herba.

CAP. XXXI.

VT ſuperius igitur ex Hippoc.retulimus,ſpectare in primis conuenit, qua parte capitis homo ictus ſit: deinde interrogare oportet, qualiter, & quomodo ſit vulneratus. nam quod ad oſſa pertinet, quæ colliſa eſſe ſolent, & fiſſa, nec tamen apparet ex his, quę homo reſpondet, primo eniti debemus ad cognoſcendum, teneatur ne os aliqua tali noxa;deinde rem citra ſpecillum,ratione,& opera explorare. Specillo.n.non deprehenditur, vllam ne os talem ſenſerit noxam; violatumq. ſit, an inuiolatum ſeruetur. quare quæcumque oculorum conſpectum effugiũt, ea mentis oculis obtinentur,& ſuperantur. Caſus. *Vulneratus fuit Horatius de Celana conſiſtentis ætatis, ſecundum partem ſiniſtram frontis,vulnere admodum anguſto,ſed cum maiori pericranei ab oſſe ſeparatione, q̃ cutis vulnus pateret. quæ hincinde diſtracta nõ erat, ſed recta vſque ad craneum diuiſa. conſiderauimus vul-*

vulnus inflictum à venatore iuuene ſatis viribus valente homini, qui magni ictus vim ſe perſenſiſſe teſtabatur, vtpote facti à nodo rami à piraſtro abſciſſi. quibus rite perpenſis craneum non leuiter colliſum fuiſſe coniecimus; quamuis nulla læſio ſpecillo, aut oculis in oſſe reperiretur. eoq. maiorem colliſionem iudicauimus contemplati craneum propria membrana denudatum, non tam in loco à nodi lignei acumine facto, quam in regione circumſtante in girum amplius duplo, quam eſſet vulneratæ cutis ſpatium. quapropter ampliato vulnere ita vt poſſet os abradi, ac perforari, os ſuum naturalem colorem mutaſſe poſtridie reperimus. vnde vnguicula ipſum abradentes, cum vix oſſis ſuperficiem pertranſiſſemus, odor nares ferire cępit, vt ſolet, quando os contuſum eſt, & putreſcit. quare ab incepto opere non deſtitimus, dum ad ipſum meditullium peruenimus. vbi ichores inuenimus, quibus exſiccatis vſque ad membranam os perforauimus, inuento oſſe vbique exſiccato, & exſucco. id quod optimo cũ euentu factũ fuit pertranſeunte quarto die. quia non prius aduocati fuimus. Inſuper, cum Nimbriius diceret nob. D. Federicus Zoppus, eius filius puer adhuc, ambulãs in paruũ lapidem cadens in terram, impegit. vnde detectũ fuit craneum in parte capitis anteriori nullo apparente ſigno, aut ſymptomate, quod cranei læſionem indicaret, Caſus.

ton-

tonſore quodam ipſum curante, donec ſuperueniente ſexta die febri, acciti fuimus ego & Hieronymus Algiſius diligens chirurgus: quo tempore ex febri, & nõ naturali colore oſsis, aliquam ſub craneo materiam cõtineri coniecimus. quare caluariam perforauimus, indeq. pus copioſum eductum fuit. & quia membranas & cerebrum corruperat, obijt puer, victurus forte, ſi vulnus aſpectu paruum, initio neglectum non fuiſſet; & debito tempore adhibita fuiſſet perforatio: quam intactam putamus, ſtante vulneris anguſtia, quæ vix ſpecillum, vt referunt, admitteret, & ſymptomatum abſentia, in hora percuſsionis. Hæc duo exẽpla adduxi, vt ex his facilius in cranei colliſi cognitionem veniamus; ſimulq. vt clare cognoſcamus craneum non ſolum leuiter collidi poſſe, ſed etiam vſq; ad membranam; quamuis nulla ſymptomata appareant. At dicet fortaſſe aliquis: quid in re adeo clara laboras, cũ norint omnes chirurgi, & velint craneum frangi poſse nullis partium internarum læſarum ſymptomatibus apparentibus? Huic reſponſum volo, quod ſi omnibus hactenus id notum & clarum fuiſſet, non pauci forte viuerent, qui vitam cum morte commutarunt. Me.n. non ſemel quoſdam proprijs auribus audiſse contigit, qui craneo integro exſiſtente, nulloq. ex ſymptomatibus dictis ſuperueniente, nihil aliud quod ad abraſionem,

nem,

nem, aut perforationẽ pertinet fieri debere cõtendũt. ſolummodo.n.pulueribus cephalicis vti ſat eſſe. In quorum errorem ipſe quoq; interdum cadere coactus fui. Ita me Deus in poſterum ab eo auertere ſua benignitate dignetur, memorięq. meæ imprimere craneum collidi poſſe; quamuis ad ſenſum non pateat, & etiam quamuis externa cauſſa leuis appareat, nec ſymptomata prædicta ſuperuenerint: etiam ſi non omnes in hanc ſententiam veniant. præſertim autem obſtinati quidam, & craßæ Mineruæ homines. qui potius in cõtinuo errore verſari, quam male perceptam artem dediſcere eligunt, vt de Theßalijs quibuſdã conquerebatur etiam Gal. His itaque valere iuſſis repetimus; ſi oßi cranei denudato grauia ſymptomata ſuperueniant, vt caſus in hora percuſſionis, vertigo &c. hęc, vt Celſus dicebat, nonniſi oſſe fracto euenire, indicareq. apparentem, aut latentem fracturam. Si vero ſymptomata eiuſcemodi grauem capitis ictũ abſque cranei denudatione, aut cutis ruptura ſequantur, raro admodum, niſi aliud accidat, cranei lęſionem monſtrabunt: ſicuti in cranei denudatione ære contundente facta, quãuis ea ſymptomata non adſint, non ob id affirmandum illud illæſum eſſe; ſed omnia primum diligenter perpendenda, quibus in huiuſcemodi læſionis cognitionem venire poſſumus, qualis in primis eſt per-

cuſſionis modus. Dicebat.n. Dinus: Non eſt neceſſariũ ex forti cauſſa primitiua craneum frangi; neq; etiam, dato quod ſit debile, non frangi. diuerſitas.n. poteſt contingere propter diuerſum modum offenſæ, quam recipit os à parua, & magna cauſſa frangẽte. Inquit.n. Hipp. Si ita caput vulneretur, vt e regione ad lineam telo occurrat, ſiue hoc manu teneatur, ſiue iaciatur, ſiue quid ſuper os incidat, ſiue homo ipſe cadens vulneretur, pręcipue periclitatur os, ne his modis lędatur; vt in caſu Horatij, & illius Zoppi. ſub telis vero, quę ex obliquo, & à latere feriunt, os minus finditur, colliditur, ac deſidet, quamuis nudetur. ſub telis aũt ad lineam rectam occurrentibus, craneum vt plurimum lædi ſolet, pręcipue ſi telum teres fuerit & orbiculatũ, ob idq. ſua vi craneum ablato perioſtio detegat. Hæc autem videtur ratio, quia ſi craneum pericraneo exui debet ab inſtrumento contundente, id nonniſi à magno ictu fieri poteſt; quia membrana craneum ambiens, neruoſa eſt et dura. quod facile cognoſcimus, quando eam à craneo ſeparare cogimur. Quare ſi ſimul cum ſupradictis, vniuerſi capitis os debile fuerit, vt in multis reperitur, in quibus cranei oſſa tenuiſsima ſunt, & infirmiſsima; aut ſi telum partem aliquam cranei debiliorem detexerit: craneum colliſionẽ ſenſiße affirmandum. Vnde tunc pro maiori, vel minori colliſione mo-

do

do abradendum, modo perforandum. Hoc vero duobus inſtrumentorum generibus exſequemur; vno, in magnis cranei denudationibus, in quibus illud commode intromittere poſſumus; altero vero in paruis. primum dicunt vulgo Raſpatorium; ſecundum, Vnguiculam. Horum vero omnium eſt varia magnitudo, & differentia, vt, quoties opus eſt ad craneum abradēdum, & etiam, ſi expedire videbitur, ad membranam denudandam, ijs commode & apte vtamur. Quod ſi colliſio per ſigna ſuperius tradita adhuc nobis non innoteſcat, conſulte agemus, ſi cranei colliſi colorem quotidie explorauerimus. quamprimum.n.naturalem colorem mutare videbitur, liuensq. & aridum fieri, ipſum, donec naturalem colorem, & optimā ſubſtātiam præſeferre incipiat, auferemus; ne, dum os corruptum à membrana recedit, ichores ex eiuſcemodi diuiſione reſultantes ſuper mēbranam retineātur, eamq. corruptione afficiant: ſicque interitus ſequatur. quod aliquando accidiſſe vidimus. Neque adhuc aliquem perforando videre contigit, qui incluſam habuerit ſub craneo ſaniem, & ſanatus ſit, niſi rimula, vel foramen aliquod in craneo fuerit, per quod, ſi non pus, ſaltem maligni vapores, qui ex corruptione reſultant, confertim potuerint exhalare. Quare, eorum opinionem ignorantiæ plenam non ſequamur, qui ſub quodā ſtul-

duo inſtrumētorum genera ad perforād[um] apta —

tæ & impiæ pietatis prætextu membranarum denudationem adeo ſugiunt, vt potius ſic affectos ſine remedio congruo crudeliter interire permittant, membranarum denudationem magis quam par eſt timentes. Vehementer ẽt abhorremus à quorundam ruralium præcipue montanorum abuſu, non minus temeritatis, quã inſcitię pleno, qui omnes in capite vulneratos craneum denudatum habentes indiſcriminatim perforãt; vt ſileam eoſdem oſſa ſine neceſſitate non raro tamen detegere. Non negauerim, aliquos perforatos interire, quibus vaſa aliqua nempe ſub dura, vel tenui menynge, aut etiam cerebri ſubſtantia rumpi accidit; vel qui aliqua errata commiſerint. ſed perforatos, quibus hæc mala non euenerint, ſi in nullo deliquerint, nec aliter morbidum corpus vtcumque, vel animum ſortiti fuerint, omnes fere ſanare; aſſero. Quare ſi coniecerimus craneum vſq; ad membranam læſionem ſenſiſſe adeo, vt veriſimiliter ſub ipſo cruor aliquis contineri, vel per latẽtem aliquam rimulam ſanies ad membranam deſcendere, vel craneum propter colliſionem putreſcẽs corruptionem cerebro communicare, potuerit: tum incunctanter membrana patefacienda eſt. Huius ſententiæ fuit etiam Franciſcus Arceus inter Hiſpanos non obſcuri nominis Medicus, qui, quamuis membranarum denudationem primum ex parte operationis periculo-

L. 1. c. 5 de cura. vuln.

riculo-

riculoſam cognoſceret, quia vix fieri poteſt, quin aliquantiſper lędatur ab operante, niſi magnam dexteritatem longo vſu comprobatam poſſideat; ſecundo ratione aeris immediate ipſam, & poſtea cerebrum ferientis: nihilominus non adeo periculoſam, & timendã eſſe operationem & actionem arbitratur, vt non longe maximum velit eſſe periculum, quod à ſanie ſub craneo, vel in craneo contenta, impendet, ad verbum ita ſcribens: Cum difficilis admodum coniectura, indicatioq. ſit, illud ego tutiſſimum, conſultiſsimumq. arbitror, vt locus trapano aperiatur. namq. nullum ex hoc periculũ timemus, etiam ſi nihil interius læſum fuiſſe inueniamus, nullum inquam periculum, nullamve curationis dilationem. Contra vero, ſi hoc negligatur maximum, certiſsimumq. periculum, & plerumque mors ipſa ſequitur. atque equidem plerosq. eorum, qui ex vulnere in capite accepto pereunt, hac cauſsa perire arbitror. Hæc ſunt Arcæi verba, quibus Chirurgo ſuadet potius peccandum eſſe aliquando membranam detegendo, quam os imperforatum relinquendo. neque credẽdum, quod vir iſte exiſtimet membranarum denudationem immunem à periculo, vt hic aſſerere videtur; quia, vbi de magnis cranei fracturis curandis agit, in quibas vehementer confracta oſſa eximenda ſunt, ea ſolummodo aufert, quæ ſufficiunt, vt detur exi

tus

tus ſaniei, et reliqua intacta, relinquitne membranas lædat, ſimulq. ne maior pars cerebri aeri exponatur, ut ab eo lædatur. Quare, id ab eo aſſertum fuiſſe putandum, vt legentes admoneret minus peccare, qui membranam aliquando denudant, licet nō adeo certi ſint offenſam vſq; ad ipſam perueniſſe; quam qui craneum perforare nolūt, niſi certo cernant ipſum eſſe fractum, aut ad membranas contuſum; nihil circa perforationē cū ratione fieri poſſe contendentes, niſi os adeo fractū, aut vehemēter læſum, vel ſymptomata enumerata videant, puta caſum in hora percuſsionis, vertiginē etc. Sed longe magis adhuc peccant, qui craneum perforare nolunt, niſi ſymptomata appareant membranam ab oſſe ſeparatam monſtrantia. Eos enim tempore quilibet, vel mediocriter in exercenda arte verſatus, ſcit vulnerati ſalutem omnino eſſe deſperatam, adeo, vt ope tantum diuina miraculoſe curari queant; potiſsimum vero, cū febris apparet quarto, ſeptimo, aut vndecimo die. id.n. vt Hippoc. teſtatur, & quotidiana experientia confirmat, eſt valde letale, ita vt nullum adhuc euaſiſſe ſciam, niſi fortaſſe febris aliunde, quam a putredine in craneo, vel ſub ipſo contenta oriatur; vt ab eryſipelatis aduentu. vt memini inter ceteros acciđiſſe filio Nob. D. Theophili Mapelli. Quam citiſsime itaque fieri poteſt craneum perforandum eſt, &

Prædic. 2.

febris si euanerit quarto, septimo, aut undecimo die mortē significat

com-

compreſsioni meatuum oſsis colliſionem patientis abradendo, vel perforando ſuccurrendum. Neque, ſi fieri poteſt, permittendum, vt os corruptionem contrahat, vel ſub ſe ſaniem colligat, antequam perforemus. quod ſi hoc acciderit, non ſolum perforandum non eſt os; ſed eos male, indocteq. operari arbitramur, qui in hoc caſu perforant. quoniam nullum infelici vulnerato afferunt emolumentum; niſi forte cito morituro data opera mortē acceleraſſe, pietas ſit. ſemper.n.adnitendū, vt ſi nō iuues, ſaltem non noceas. quod Hipp. Gal. & omnium præceptum, non ſolum in perforatione, ſed in omni alia operatione, præcipue circa craneum exſequenda, ſeruandum eſt. Neque vero, vt Hipp. præcipit, cōmittere debemus, ut tertium diem excedamus, prius quam os cranei ſecemus; ſed intra hoc ſpatium ſecandum eſt; præſertim vbi tempus calidum fuerit. licebit tamen in dubio, tutiusque adhuc erit in caſu propoſito aliquantiſper differre, remq. diligētius conſiderare, & deliberare; quam omnia ante tertium diē precipiti deliberatione perficere. ſed in re certa ſemper Hippocratis præceptum ſeruare conſultius ſit. — in quo tēpore ſit facienda apertio

Quoties vero in propoſito caſu os cranei non vehementer affligitur, ſciendum membranam in primis diebus ſemper craneo adherere.

CAP. XXXII.

In sectione non debemus in p.a die membranam detegere

QVare, ſi tuto perforationem aggredi, & perficere cupimus, ab Hippocratis præcepto recedendũ non eſt, qui dicebat, loquens de ſectione: Quando neceſſe ſit hominem ſecare, hoc obſeruandum eſt, quod ſi principio tibi curatione tradita ad ſectionem venias, os vſque ad membranam ſtatim excidere non debes, cum non expediat detracto oſſe hanc diutius patefactam relinqui, vt quæ grauiter læderetur, & tandem putreſceret, atque hebes fieret. aliud item periculum ſubeſt, ſi ſectum os ſtatim à membrana euellatur, ne ſerra in ipſo opere membranam laceres, verum in ſectione id obſeruandum eſt, vt, vbi parum iam eſt id, quod ſecandum ſupereſt, iamq. os labat, ex opere te recipias, ſinasque vt os per ſe abſcedat. nam oſsi quod ſectum eſt, & ſine ſectione relictum, nihil ſuperuenire mali poteſt. tenuatur. n. iam quod relinquitur. Idipſum etiam in calce libri repetit. Hic eſt modus ſecandi craneum, quo nos Hipp. vti iubet, quando membrana craneo nectitur. quo in loco notandũ, quod Hipp. non dicit ſecare os, ſed ſecare hominem, innuere volens ſectionem nos non debere tentare, niſi opus ſit,

Quare Hipp. in sectione cranei non dixit secare os, sed hominem.

buia

quia non craneum, ſed vita hominis ſecatur. facile craneum ſecatur; ſed illud recte & abſque hominis periculo incidere difficillimum. Ideo, vt Auenzoar optime monet, non deberet recipi aliquis ad hoc exercendum, niſi qui longo tempore fuerit diſcipulus cum magiſtro optimo & perfecto; & qui per ſemetipſum longo tempore artem exercuerit. Quoties itaque homo ſecandus eſt, præcipit hoc obſeruandum eſſe; ne ſtatim curationem, & operationem aggredientes os cranei vſque ad membranam ſecemus, ne ſine medio membrana aeri exponatur. Hanc autem non vult ſine medio eſſe aeri exponendam; quia quæcumque velata & clauſa eſſe conſueuerunt, vbi aperta & ſine operimẽti interuentu detecta ſunt, ab externo et inconſueto aere alterantur; atque vbi ſic diutius relinquuntur, putreſcunt. Natura etenim non ſuſtinet repentinas mutationes; ſed ab extremo ad extremum per debita media tranſit. qua ratione etiam inter ignem & aquam, aerem; & inter terram & aerem, aquam, miro quodam ordine interpoſuit, vt à contrarijs qualitatibus vnius extremi elementi ad contrarias qualitates alterius, per medias ſymbolum habentes, cum inter ſe mutantur, fieret tranſitus. Quare etiam nos Naturam imitati non ſtatim ad inſueta extrema peruenire debemus, ſed gradatim. Dicebat .n. Auicenna, quod læſio fit ex ſubito aduentu

Auenzoaris consiliũ in electione medici

Natura nõ sustinet repẽtinas mutationes; sed ab extremo ad extremum per debita media transit

L. 4. fen 1. trac. 3 c. 6.

contrarij in complexione. igitur ſi membrana ſtatim aeri exponatur, ab eo lædetur, tamquam à contrario, cum ſemper aer, vel æſtate ardentiſsima ex ſententia Gal. detectam membranam refrigerandi uim habeat; ſi vero ſenſim, non ita, quia paulatim aſsueſcet, neque ſubitam patietur mutationem. Fortaſse vero, ſi hæc ſeruaremus non adeo de aere noſtro quandoq. conquereremur, quia illi ſenſim membrana aſſueſceret; neque cerebrum, vt diximus, (quod aere ſemper eſt calidius) ab eo adeo, potiſsimum per refrigerationem, læderetur, vt fit, quando ſine aliquo medio tegumento aeris exponitur iniurijs. Vidimus aliquando membranam corruptionem quandam patientem, quam quidam eſcharam vocãt, à repentino ambientis ſubitoq. occurſu; aut potius cum ab hac, tum ab alia cauſſa dicta productã.

casus. *In Iacobi Platti uulnere adeo profunde dura mẽbrana in foramine trapani computruit, vt non prius putrida pars à ſana ſeparari potuerit, quam quinquaginta diebus elapſis. Hic habebat vulnus, vbi lamdois ſutura cum ſagittali coit, qua in regione dura membrana validius craneo nectitur. huic vero fortaſſe membrana non adeo profunde computruiſſet, ſi ſtatim aeri non fuiſſet expoſita. Aliud itidem periculum ſubeſſe inquit Hipp. ſi ſectum os ſtatim à membrana diuellatur, ne ſcilicet perforando ſerra membrana laceretur.*

Vt

Vt igitur aeris frigidi iniuriam, & membranæ lacerationem euitemus præcipit hoc obſeruandum eſſe, vt vbi parum iam eſt id, quod ſecandum ſupereſt, iamque os labat ex opere deſiſtamus, ſinamusque vt os per ſe abſcedat. Hoc autem perficere admodum facile erit. quid enim vetat cum in aliqua orbicularis perforationis oſsis parte ad membranam ventum eſt, permittere, vt reliquum per ſe abſcedat. oſsi etenim tam ſecto, q̃ quod ſecandũ ſupereſt, nihil mali omnino ex hoc ſuperuenire poteſt. tenuatur etenim iam quod relinquitur in media ſerra; quia propter ſectionem vndiq. nutrimento priuatur. quo fit, vt non ſolum pars, quæ in totum ſecta eſt, ſed etiam ſecanda, breui contabeſcat, perſeq. à reliquo oſſe et membrana facillime abſcedat. nocumentaque & incommoda non ſequuntur, quæ communem operandi modum comitantur, quando oſſiculum illud in medio circuli ſerræ relictum ſtatim uulſellis, aut vectibus violenter à membrana, & oſſe diuellimus. Hanc.n. operationem quamuis omni cum dexteritate facere conemur; ſine tamen maximo vulneratorum periculo perfici non poſſe arbitramur, quia craneum membranæ adhæret, & nutritur ab ea medio capillamentorum, neruoſorum, venarum, & arteriarum craneum permeantium. Quæ omnia, dum oſſiculum illud in medio ſerræ relictum ſtatim per vim

auſertur, neceſſe eſt, vt rumpãtur. vnde inflammationis membranæ periculum imminet. iure merito ergo operatio iſta iudicio meo maxime fugiẽda eſt. ſiquidẽ multos neci tradere poteſt. & forte quod inter cauſas frequentis interitus ob vulnera capitis hæc quoque nõ poſtremum obtinet locum, quando, vt dictum fuit, os non vehementer eſt afflictum. tum.n. membrana ſemper craneo adnectitur. nam cum os cranei vehementer afflictum eſt, celerrime, vt Gal. prodidit, ab eo membrana recedit; & cum receſſit, ad oſſis ablationem non adeo ingens ſequitur periculum. Quare optime monet Franciſcus Vertunianus, cum inquit: Si ex facili auellere non poſſumus, exſpectandum eſt, donec ſua ſponte emergat. Hãc magnam difficultatem videns Iacobus Carpenſis in opinionem illorum venit, qui exſpectant principia accidentium à ſanie venientium, inquiens, hoc prudenter docere auctores propter hanc rationem; quia, ſi fieret talis operatio ſtante dura matre craneo alligata, maximum eſſet periculum de inciſione eius. Immo ſubdit: Impoſſibile eſt aliter eſſe, quin lædantur, ſtante ipſius membranæ forti colligantia cum craneo per totum. Ceterum hæc ſententia, meo iudicio, ſalua eius pace, prorſus erronea eſt. Quot oſtendere poteſt Carpen. aut alius, qui ipſi faueat, quibus huiuſmodi accidentium principia ſuperuenerint, & ſanati ſint,

Cap. ĩ T. dẽ in quo dẽt fieri oſſis amotio.

contra Carpẽſam.

etiam

etiam adhibita perforatione? neminē certe. ſcio aliquē pro Carp. dicturum, ſe vidiſſe ſanatos, quibus huiuſcemodi accidentium principia aduenerant; ſed falſò, niſi fortaſſe rimula quępiam, vel foramen aliquod adfuerit in craneo, per quod, ſi non pus, ſaltem maligni, qui ex corruptione reſultant vapores, exhalare potuerint: vt memini me obſeruaſſe ſemel ſub mihi amantiſſimo Præceptore Gabriele Cuneo Mediolanenſi, cum in ea vrbe chirurgiæ addiſcendę cauſſa degerem, in bubulco quodam Bergameno appellato, tridente ligneo percuſſo. In huius craneo denudato in parte ſiniſtra capitis, tonſor quidam nullam animaduertit lęſionem, quare illud non abraſit, nec perforauit: decimoſeptimo die ſuperuenit febris cum magno totius capitis dolore, & grauitate: viceſimo die aduocatus Præcep. meus, vulnere à ſorde expurgato, & naſo vulnerati cōpreſſo ægrum iuſsit ſpiritum continere. quo facto, per cranei poros tenax excrementum egredi cępit. quo viſo craneum vſque ad meditullium abſtulit, & copioſum pus eductum fuit. poſtridie & ſubſequent. diebus febris ita ſenſim eſt imminuta, vt in dies melius habuerit, donec reliqua cranei lamina propter longam ſaniei in loco moram corrupta, & tandem à membrana ſeparata, exſtracta fuit. quo tempore ſublata febre tandem conualuit. propterea non alia dicenda cauſſa, quam q̃

casus.

in eo homine oſsis contuſi meatus naturaliter laxi, nõ adeo à contuſione comprimi potuere, vt vaporum putridorum & ſaniei tenuioris exitus oĩno cohiberi, & intercipi potuerit. ſed quia craſsior materia per anguſta foramina libere egredi non poterat, is in magno vitæ diſcrimine diu fuit. ſecutusq. proculdubio fuiſſet interitus, niſi meatus in eo naturaliter laxiores putridis vaporibus, & ſaniei, vt dictum eſt, effugium reliquiſſent. Quando .n. denſum adeo eſt craneum, vt materię noxiæ nullum exitum & effugium concedat, nemo vel perforatus euadit, & ſaneſcit. Neque eſt, quod quis dicat noſtris temporibus hoc ſequi propter naturæ maiorem imbecillitatem, quia etiam Raſis, vt conijcere poſſumus ex Gal. auctoritate, inquit: Id, quod debet ſeruari de craneo capitis, cum celeritate ſerretur, & non exſpectetur, vt accidat de eo quod deſcendat ad matrem cerebri ærugo; ſicut faciebant quidam exſpeſtãtes hoc, vt compleretur putredo, & ſepararetur mater dura, vel matercula à ceruice. Ecce quod tempore Galeni, & Raſis idem in hoc caſu ſequebatur, quod etiam noſtra ætate huiuſmodi autem putredinis principium cognoſcere docet Paullus ex augmento doloris, & febris, ex mutatione coloris oſsis, & ex cruditate, & tenuitate puris fluentis à vulnere, propter qđ putredinis principium membrana recedit à craneo. At

ego

ego Paullum in huiuſmodi ſententiam perueniſſe val- cõtra Paulũ.
de miror: quia dolor fit ab intemperie, aut ſolutione cõ-
tinui cauſata à materia, quæ, aut ſuper ipſa mẽbrana,
aut in eius ſubſtantia continetur: ſi ſuper ipſa, aut à
cranei læſione, aut à vaſorum aliquorum ruptione col-
lecta eſt: ſi in corpore membranæ, aut propter vas ali
quod itidem ruptum; aut propter humorum influxum
ibi confertur. Vtcumq. autem accidat, neceſſe eſt læ-
ſionem membranæ ſequi ita, vt neminem, vt dixi, ſer
uatum adhuc videre potuerim, qui incluſam habuerit
ſub craneo ſaniem ſine aliqua effugiendi via, quæ natu
raliter raro in hominibus inuenitur adeo, vt naſo eos
numerare poſsis. Non ergo exſpectabimus ſeparatio-
nem mẽbranę à craneo, quæ per ſigna tradita à Paullo
cognoſcitur. ſed omnia pro viribus moliemur, vt ſym
ptomata iſta remedijs idoneis prȩueniamus. fiet id, ſi
dum membrana craneo adhæret, vt Hipp. præcipit, pri
mis diebus os perforemus. nam hoc modo membrana à
ſanie non afficietur, neq; ab operante læſionem notatu
dignam patietur, grauesq. inflammationes periculum
mortis inferentes excludentur. hęc erunt obſeruanda
quoties craneum ſerratis circulis perforandum eſt,
membrana adhuc annexa craneo.

CAP. XXXIII.

VErum in hoc caſu, ſerrati circuli vſum, quo ad fieri poteſt, omittendum cenſemus; quia, etiam ſi Hipp. methodum perforando ſeruemus, inæqualitatẽ tamen, quã ſerratus circulus in parte interna relinquit, euitare haudquaquã poſſumus, quę acuũ acutarum inſtar continue ſalientem & pulſantẽ membranam neceſſario ferit, & lædit; inflãmationemq. nõ raro accerſit. neque eſt, quod aliquis exiſtimet eam ſe lenticulari ſcalpro commode adęquaturum, aut complanaturũ: quia, dum illud violenter quoque inter craneum & mẽbranam immittit, eam per vim itidem à craneo ſeparans, & diuidens maxime offendit. ego certe in cadauerum caluarijs ſectionem hanc ſerrato orbe facere tentaui; neque vmquam fieri potuit, vt illa aſperitas nõ relinqueretur poſt terebrationem. quare tutius exiſtimaui fore, vt à ſupraſcriptis cycliſcis .i. ſerratis circulis abſtineremus, & eorum loco vteremur potius unguiculis ſuperius nominatis. quorũ vſu, in propoſitis cranei læſionibus, vbi membrana ſemper craneo nectitur, inueniri nil poteſt vtilius, aut tutiꝰ; præcipue quia in colliſione, vt plurimum exiguum fora-

ra-

ramen ſufficiet. præcipit.n. Hippoc. vbi aliquo ex his modis violetur, ſanguini exigua terebra perforando effluxum, & exitum parandum eſſe. quod ſi etiam maius foramen parare neceſſarium putauerimus, id facillime præſtare licebit. Vnguiculæ enim, vt lubet multam cranei portionem & paucam demunt, tenuiſſimamque eius portionem membranæ adnexam relinquunt. quæ quia nutrimenti penuria laborat, citiſsime contabeſcit, & à membrana ſeparatur. tumque, ſi magno foramine opus ſit, forcipe aliquo incidente, vel lenticulari ſcalpro nullo negotio adhibito os tabefactũ auferentes, ad libitum ſine vllo periculo foramen ampliare poterimus, id ſemper aduertentes, vt quam minima ipſius membranę portio denudetur, & ſolummodo foramen id tantillũ moliamur, quod ſaniei expurgandę ſufficiat. quę, quia in parua cranei colliſione pauca quoque debet eſſe, paucum etiam foramen, vt iam dictum eſt, ſat erit: amplius vero nonniſi in maiori colliſione conueniet: modo non ſtatim à nobis fiat; quoniam, vt ſupradictum eſt, cranei tenuior pars relicta poſt abraſionem ſenſim prius abſcedere à membrana exſpectanda; deinde foramen ampliandum. vt autẽ commode id vnguiculis perfici queat, multas magnitudine, & paruitate, necnon figura differentes, paratas habere oportet. & quamuis vnguicula ab Hippoc.

O te=

terebra valde differat, nihilominus tutiorem vnguiculæ, quam terebrę vſum exiſtimamus. neque tamen nobis diuinus Hipp. qui omnia cognoſcere non valuit, contradiceret. nam, præterquam quod minor membranæ portio ab vnguicula, quam à terebra, ſiue ſerra detegitur, puta vel ad grani milij magnitudinem, & non amplius cum libuerit; nulla etiã ab ipſa aſperitas relinquitur, vnde mẽbrana irritetur. id igitur certo certius eſto, quod vnguicula craneum perforãtes membranam non ita facile laceramus; quoniam pars oſsis, quæ paullatim vnguicula perforando demitur, nobis etiam ſenſim viam ad menyngem aperit, adeo vt ne cæcutiens quidem errare poſſit. Vnguiculam terebrum fiſſuræ non conuenientem Carp. appellat; perinde ac ſi dicere voluerit læſionibus non apparentibus cranei deſtinatam. Non ob id tamen prorſus ſerræ vſum damnarim, ſi ab Hipp. methodo & canone non recedamus, ſerræ orbem obſeruantes diligenter, ne ſcilicet dum craneum perforare intendimus, in aliqua eius parte membranam laceremus, vel lædamus; vel os quod in medio ſerræ relinquitur, violenter auellamus; ſed potius per ſe abſcedere à membrana permittamus.

CAP. XXXIIII.

NEque eſt, quod aliquis in dubium vertat membranam primis diebus in ſimplici dicta colliſione, & alijs cranei læſionibus, ſenſui non apparentibus, craneo ſemper adnexam eſſe: quoniam mẽbrana ſolummodo ab oſſibus, quæ vehementer afflicta ſunt, vel Gal. auctore, celerrime recedit; niſi forte quis ſolummodo per ſuturas ipſam craneo adnecti obſtinate defendere velit. id quod vtinam eſſet verum pro ſalute hominum. maxime enim tum eſſet facilis cranei perforatio, nullumq. inde læſionis membranæ periculum immineret. At re vera non ſolum per ſuturas craneo ea adhæret; ſed tota & ubiq. & equidem ligamentis validiſsimis. cuius rei veritas facile etiam ex Hippoc. lib. de capit. vulneribus elicitur, dum modum ſecãdi craneum oſtendit, ſimulq. recenſet pericula, quæ ſubitam cranei a membrana ſeparationem ſequũtur, dum Medicus craneum perforat, cum inquit: Si ſectum os ſtatim à membrana auellatur, periculum eſt, ne ſerra in ipſo opere membranam laceres. quod ſi à principio ad curationem adhibearis, veliſq. os excidere, & à membrana detrahere, æque ſpecillo demiſſo ſerræ circuitum conſiderato, &c. Quomodo.n. ſubitam

cranei auulſionem à membrana timẽdam propoſuiſſet, & modum quo tuto os à membrana detrahi poteſt demonſtraſſet, niſi arctiſſimã membranæ cum craneo cõnexionem omnino cognouiſſet. Gal. quoque, quamuis aliquando ſecus ſenſiſſe forſan videatur, inquit, quod membrana celerrime recedit ab oſſibus, quæ vehementer ſunt afflicta. atqui membrana à craneo recedere nõ poteſt, niſi prius illi fuerit adnexa. huius ſententiæ fuere Paullus, Auicenna, Raſis, & reliqui optimi auctores, quorum ſententias ad verbum, quoniam quilibet facile apud eos videre poterit, non eſt quod hic afferamus. nec aliter ſenſere Neoterici omnes idipſum vno ore fatentes. potiſſimũ vero Iacob. Carp. & Io. Baptiſta Carcanus id optime in ſuis de cap. vulnerib. libris mõſtrarunt: quibus inter alios conſentiunt etiã Paullus Iuliarus, & Nicolaus Maſſa. qui equidem ita loquitur: Duram matrem vniuerſo ſemper craneo alligatam vidi ligamẽtis validiſsimis pro modo membri; ſed validioribus ac craſſioribus per ſuturas adnectitur: quod ſi aliquando aliqui ſecus inuenerunt hic non naturalis, ſed præter naturam affectus eſt. hoc quoque nos vidimus ſemper, nec vmquam ſecantes caluarias abortuum puerorum, iuuenum, ſenuum, & cuiuſuis conditionis, & ſexus hominum, ab oſſe ipſam ſeparatam reperire valuimus, licet multum ſtu-

dium,

dium, & diligentiam in hac rei veritate indaganda ſemper poſuerimus. in omnibus.n.adnexam oſſi ſemper inuenimus; magis tamen in nuper natis. in quibus membrana cum craneo quibuſdam in locis vnum fere corpus eſſe videtur. eo minus vero oſsis & membranę natura diſtinguitur, ſed non ſeparatur, quo ætate craneum ſiccius euadit, adeo vt in ſenibus non ita firmiter, vt in puerorum, & iuuenum caluarijs adhærere videatur. Ratio autem ea eſſe poteſt, quod dum craneum augetur, maiore quoque alimento indiget. hoc autem per multa vaſa à membrana prodeuntia ad ſe allicit, quotidieq. magis craneum augeſcens, magis etiam vaſa comprimit, adeo vt poſtquam craneum ad iuſtam magnitudinem, & craſsitiem creuit, vaſa, vtpote non amplius auctioni neceſſaria contabeſcant, & exſiccentur; ſicq. membrana propter eorum defectum non adeo in ſenili, vt in puerili, & iuuenili ætate craneo adhæreat: cuius rei clarum argumentum eſt minor meatuum numerus in ſenum, quam in iuuenum caluarijs ſemper repertus, licet ſemper in omnibus adhæreat. hanc veritatem, & ſimul magnam difficultatẽ videns Carp. vt antea diximus, ſeparationem membranæ à craneo exſpectare ſuadet, priusquam perforemus. quod idem eſt, ac ſi diceret, exſpectandum, vt prius æger moriatur, quam illi medelam preſtare velimus

limus, non exſpectandum igitur donec membrana à putredine labefactetur. quia tunc de miſeris vulneratis actum eſt. ſed antequam hoc accidat, eo modo, quo ſupra oſtenſum eſt, illis ſuccurrendum; neque timendum ſic agendo, quod membrana adeo afficiatur, vt non multo peius ſit illam à ſanie corrumpi permittere. Et hæc de perforatione, & perforationis modo, quem in colliſione, & alijs cranei læſionibus ſenſum effugientibus ſeruare debemus, dicta ſufficiant.

De abraſione cranei vſque ad Diploidem in colliſionibus facienda.
CAP. XXXV.

SEd quia os cranei magis & minus collidi poteſt, vt Hipp. dicebat, ideo nō ſemper ita colliſum erit, vt perforatione egeat: ſiquidem, modo totum os colliditur; modo in ſuperficie tantum; modo altius: ſed non totum, verbigratia ad meditullium vſque. Si colliſio cranei tantummodo ſuperficiem lædat, proculdubio ea abradenda eſt, vt ſcilicet oſsis colliſionem patientis meatus aperiantur. ſi.n. Archigenes referente Gal. & Aetius os cranei abradunt, cū tantum

tum eſt denudatum, & ſi aliter illæſum ſit, cur cum manifeſte offenſam paſſum eſt, ipſum, multo rationabilius nō abrademus? huiuſmodi rei ratio adducitur à Fallopio, cum inquit: Quoties os cranei denudatum eſt, ita, vt per duas horas afficiatur, ab aere ambiente ſemper refrigeratur, & contrahit ſiccitatem in ſuprema parte: & ideo extrema ſuperficies moritur: & ideo remouenda eſt illa ſquama ſuperior, qua permanente vulnus vniri non poſſet; & ſi contrarium eueniat, rarum eſt. abradimus igitur in colliſione plus minusue, quod ad longitudinem, & latitudinem pertinet, pro varia colliſionis ſpecie, & natura. ſed quia coniectura interdum nos decipere pōt, ne lęſum illæſum exiſtimantes, cum vulgari errore eorū, qui ab abraſione abſtinēt, ægrum interire permittamus, tuto iudicio noſtro operabimur, ſi, cum de colliſione dubij ſumus, craneum vſque ad meditullium auferemus. dato.n.quod colliſio ad meditullium non perueniat, quid noces, ſi ad illud peruenias? Nam ſi ad illud pertingat; & huiuſmodi operationem negligas, primū propter meatuum conſtipationem; ſecundo propter ſanguinem, qui nonnunquam in meditullio colligitur ob colliſionē; tertio, propter vaſa craneum permeantia ob contuſionem neceſſario putreſcentia, maximū periculum ac mors ſequi ſolet. neque hoc meum eſt inuentum, ſed diuini Hippoc.

qui

qui lib. de cap. vuln. inquit: Si os fiſſum fuerit & colliſum; vel colliſum tantum, vel non ita inciſum; vt oſtendat qua telum inſederit; & præter id colliſum, aut fiſſum, vel vtroque modo læſum; vbi os aliquo ex his modis violetur, ſanguinem detrahere oportet, oſſe per exiguam terebram perforato. Quam ſententiam ſi quis ſolummodo de cranei perforatione vſque ad membranam intelligendam eſſe contendat, ob idque de huiuſmodi operatione in eo libro locutum non fuiſſe, eum plene ſatisfaciet idem Hipp. in libro Epidemiorũ, vbi inuenitur ab ipſo Hippocomum puerum ætatis annorum vndecim, percuſſum ab equo in fronte ſupra oculum dextrum, vſque ad diploidẽ ſectum fuiſſe. neque alia de cauſſa huiuſmodi operationem tentauit, niſi quia os videbatur non eſſe ſanum, ſed contuſum. non ſecuit aũt uſq; ad membranã, quia coniecerat ad ipſam non peruenire læſionem. quod optimo cum euentu fecit, quamuis alia de cauſſa Hippocomus tumore oculorũ frontis, & totius faciei, præcipue in dextris capitis, nec non febre continua, quæ à rigore inceperat laboraſſet. idẽ videtur annuere Vidius, dum inquit: Os contuſum duo opera poſtulat: vnum vt detrahatur quidquid adeo contuſum eſt, vt nequeat ad priſtinam naturam reuerti: alterum, vt eo loco procreetur callus. cuius etiam ſententiæ videtur fuiſſe Fallop. dum inquit:

L. 5. ſect. 16. ſecundũ Valeſ.

Cum

Cum magnum vobis ſe offert vulnus, abradite vſq; ad ſecundam laminam. Aliquando craneum vſque ad meditullium auferentes. ſed ſero, & non ab initio, meditullij portionem colliſioni ſubiacentem, vice ſanguinis ſaniem continere vidimus, adeo vt hincinde circũ foramen guttatim emergeret. An autem propter ſolã cranei corruptionem à meatuum compreſſione factã id contingere potuerit; an potius propter ſanguinem in meditullij loco collectum extra uenas, ſcire non magni refert. ſat eſt noſſe, hoc in vulnere capitis à re contundẽte factã cum cranei denudatione accidere, præcipue cũ oſſa ſunt tenera, ut puerorum, & oĩum qui mollẽ oſſis naturam habent. duriora vero oſſa abradẽtes, vel perforantes nihil aliquando ſubeſſe vidimus; ſed tantum naturalem colorem abeſſe, nec fœtorem deeſſe, clarum ſcilicet corruptionis inditium. Sum tamen huius ſententiæ, quod proceſſu temporis, ẽt in his ſanies colligatur, poſtquam venulæ craneum perreptantes putredinem acquiſiuerint. quod vero ſanies in oſſis cranei ſubſtantia generari poſſit, quamuis venę in ipſa contentæ ſanguinem non effundant, ratione primum; deinde experimento probatur: & primum ratione, quia in oßis cranei ſubſtantia eſt cauſſa efficiens, & materialis. quare etiam ibi ſequi poteſt effectus: ſiquidem in oſſe non deeſt ſuus naturalis calor, qui à cõpreßione Sanies etiã in oſſis cranei ſubſtãtia generatur.

 mea-

meatuum, & vaſorum corruptione, propter colliſionem præternaturalis effectus in cauſſa eſt putredinis in oſſis ſubſtantia. quæ licet ſicca ſit reſpectu aliarum partium; ſua tamen adeſt humiditas, licet pauca, auxiliantibus meditullio, & venis craneũ percurrentibus. quę etiam materiam putredinis recipere valent. quod non ſolum de craneo, ſed de alijs etiam oſsibus contuſis, præcipue tibiarum, dicendum eſſe, non ſemel experientia nos docuit. Accedit experimentum, quia multi ſunt, quibus cum à principio apparente craneo illæſo nullum ferrũ ſit admotũ, tandem perforatis, ad id impellentibus ſymptomatibus, ſaniem nõ ſuper mẽbranis collectam, ſed primum in oſſe cranei genitam, tandemq. etiã membranæ, ac cerebro communicatam clariſsime vidimus. quorum pars maior, vitam cum morte commutarunt, vt fecit cuiuſdam noſtratis chirurgi filius, Caſus. *qui craneum denudatum habens à re, quæ vulnus anguſtum effecerat, quinta die ſymptomatibus apparentibus perforatus eſt, inuenta ſanie in meditullio, quæ iam vitium membranis, & cerebro communicarat. Similiter puer quidam Lemine oriũdus, apud Marcum* Caſus. *Antonium Lazaronum egregium puerorum inſtitutorem, in capite vulnus aſpectu paruum habuit: octaua die febris ſuperuenit: nona os perforatum, è cuius meditullio ſanies guttatim emergebat. hic licet ſuper*

mem-

membranas nihil præter naturã haberet, nihilominus, quia os putredinem ſubiectis partibus communicarat, inflammationemq. effecerat, mortuus eſt. cuius rei oculatus teſtis fuit Hieronymus Algiſ. chirurgus. Inſuper coniugi Petri Marcheſij ad Pontem S. Petri à re contundente vulneratæ in ſummitate frontis cum cranei denudatione, licet nulla in oſſe videretur læſio, quinta die febris ſuperuenit: color oſſis mutatus è naturali ad fuſcum vergebat: perforata eſt: & ſanies in meditullij poris reperta; ſed membranæ inflãmatione, quæ iam vt ſigna oſtenderant inceperat, non ceſſante, mortua eſt. Neque, vt non ſemel antea inculcatum eſt, adhuc aliquem videre potui, qui incluſam habuerit in craneo, vel ſub ipſo ſaniem, & ſanatus ſit; niſi putrida fuligo tranſpirarit antea per aliquod foramen, vel rimulam. quod ſi qui euaſerunt, ijs nondũ confecta erat ſanies. in quorum numero fortaſſe ponendus fuerit filius D. Marci Vndeſij annorũ iiij. qui vulneratus fuit in occipite à re contundente; ſed quæ valde anguſtũ vulnus effecit, cum cranei denudatione, ſine eius apparente læſione; ſexta die febris ſuperuenit, & color oſſis mutatus. quare, cum febrem propter cranei corruptionẽ oriri dubitaremus, vnguicula admodũ anguſta craneum vſque ad meditulliũ perforauimus; & ichores quoſdam inuenimus. quare inue-

casus

casus

niſſe febris cauſsam rati vlterius perforando non proceſſimus. hic ſeq. diebus febre mitigata tãdem ſanatus eſt. Filiolæ annorum trium in capite à re contundente ualde anguſtũ vulnus paſſæ craneo detecto, nulla in eo apparẽte leſione, ſexta die os colorem naturalem amittere cæpit, & ſeptima febris aucta. quare craneum ad meditullium perforaui, vnguicula admodum anguſta, ne ex vulnere maiore, in fronte maiorẽ etiam cicatricis deformitatẽ contraheret: ichoribus exinde uiam patefecimus, ſeq. die febris remiſit, & ſanata eſt. His duobus ſanitas non eſſet ſubſecuta proculdubio, ſi operationẽ diſtuliſſemus, donec ſanies in oſſe cõfecta ſuas qualitates cerebro cõicaſſet, & membranis id quod tã cito facere non potuit, vt fecit in ſupradictis tribus qui perierunt. qm̃ in poſtremis hiſce duobus cranei patentiores pori, & foramina vapores putridos egredi ſinebant. quare anteq̃ ſanies, vel oſsis cranei corruptio ad ſubiectas partes perueniãt, os aperire oportet; modo abradentibus vtcumq. organis; modo vnguiculis, vt expedire magis videbitur. neque totum os denudatũ ad meditullium uſq; demendũ: ſed vnicã tm̃ oſsis colliſi particulam auferre ſufficit: quoniam per meditullij poros, quod reliquum eſt in craneo colliſum, etiam ſi totum non auferatur, expurgari poterit. cum exeundi via hoc modo putridis vaporibus, ſanieiq. pateat. quo

fit,

ſit, vt ad cerebrum corruptio peruenire non poſſit. quod ſi ad meditullium vſque abradendo peruenire nõ opus ſit, tota tum oſſis denudati quantitas auferenda eſt, ut omni ex parte meatus à collisione compreſſi reſerentur. præter alia vero beneficia, quæ has operationes ſequi poſſunt, vnum id eſt non contemnendum: quia ſæpe, vt Hipp. inquit, ſcalpro oſſis vitia deprehenduntur, quæ alioqui manifeſta nõ fuerint. nam exterior cranei pars nonnunquam illæſa videtur: ea vero abraſa, vel vngui culis ad meditullium ablata, interna oſſis læſio non raro detegitur, qualis fuerit ſciſſura capillaris. quod non ſemel in huiuſcemodi colliſionibus obſeruaui lamina externa illæſa apparente. nemo igitur operationem hanc tentare detrectet, et timeat. quod autem propter colliſionem craneum in meditullio corrumpatur, notauit etiam Vigonius, dum inquit: Vndecimum notabile vergit circa corruptionem oſſis cauſatam occaſione alicuius contuſionis in oſſe à re contundente: & hoc plurimum euenire cõtingit in ætate tenella. ſuper quo conſiderandum eſt, quod interdum vt ſæpenumero vidimus ex iſta, diſpulæ ſeu ſpungioſæ, cõtuſione propter ſanguinem inter ambas tabulas extrauenatum tanta ſequitur corruptio; quod niſi à prudenti medico ſtatim raſpatorijs remoueatur, accidentia mala ad cerebri pa riculos ſuas putredines delegando proculdubio genera-

ra-

raret. Vt ergo iſtud inconueniens euitemus, vtiliſsimū eſt vitream primæ tabulæ raſpatorijs remouere, vt exinde ſanguis extrauenatus melle roſaceo, et ceroto in principio fracturæ cranei prenominato faciliori modo expurgari ualeat. Hæc Vig. licet aūt ipſe dicat hoc, in tenera tantum etate accidere, nos tamen id etiam in adultis eueniſſe obſeruauimus, in quibus os non valde ſiccum & denſum fuit. Si.n. vt Nicolus dicebat, ſiccum naturaliter, vel ætatiue fuerit, magis & citius contingit ipſum findi ex occurſu cāæ contūdentis, ſicut e conuerſo, quāto minus eſt ſiccum, tanto etiam minus contingit illud. quare quominus ſiccum & denſum os eſt, eo facilius collidi poteſt. vnde non mirum, ſi etiam adultorum oſſa collidantur, quoniam quorundā ex ijs oſſa, præcipue feminarum, & mollem vitam degentium, non adeo dura ſunt, vt ſemper ſub ictu apparentem fracturam patiātur. fortaſſe verum eſt (quod Vig. notat) in pueris cōtingere cranei corruptionem propter ſanguinē in meditullio extra venas effuſum: q̄q̄ arbitror re uera corruptionē cranei colliſionē ſequi, tametſi nullus cruor in meditullio cōtineatur. hoc nobis clarū aliquando fecerūt caluariæ ſæpius inter abradendum & perforandum, cum prorſus deſtituta omni humiditate naturaliq. calore fœtorem emittebant, certum corruptionis, ſiue putredinis oſsis argumentū,

quam=

quamuis nihil in oſsis ſubſtantia contineretur. non ergo huiuſmodi corruptionem aliunde, q̃ à meatuum compreſsione factam à colliſione, oriri dicendum eſt. ſed in his quoque proceſſu temporis ſanies colligitur, cum meditullium, vel venulæ craneum perreptantes corruptionem ſentiunt, tametſi à principio nullus ſanguis in meditullio effundatur. Verum enimuero vtcumque hoc acciderit, in huiuſmodi difficultate, cranei os ad meditullium vſque abradere, vel perforare, optimum ſemper fuiſſe experientia comperimus: modo id fiat antequam ſanies in oſsis ſubſtantia confecta ſit; vel ſi confecta eſt, antequam putredinem membranæ communicauerit: vt fieri cõſueuit cum rimula, vel foramen aliquod in craneo exſtat, per quod putridi vapores, qui ex corruptione reſultant, exhalare poſſunt. Corruptio iſta cranei in noſtra patria adeo potens apparet, niſi ad eam admodum intenti ſimus, vt multos præcipue pueros ad orci fauces perducat. quare conſultiſsimum putamus, ſi in dubio præſentis colliſionis os ipſum cranei vſque ad meditullium ſemper auferatur, hactenus experientia rerum magiſtra nobis ſuffragante, & hãc tutiſsimam viam eſſe demonſtrante, quidquid inſani poſtea quidã iactent, quoties aliqui ex huiuſmodi uulneratis moriuntur, culpam omnem, nõ in morbi magnitudinem, non in ægri, aut aſtantium errores; ſed in

tru-

trucem inhumanumq. chirurgum reijcientes, qui cutẽ incidit, craneum abraſit, aut perforauit, & denique in vulneratũ, vt carnifex ſe geſsit; perinde ac ſi Medicos iſta agentes magnum certe lucrum, & voluptas ſequatur. quamquam Medicus rationalis à recta operandi methodo aliquando deſiſtere nõ debet in Deum tantum intuens, qui recte operantes, & patientia vſos in melius quotidie prouehit: dicant quidquid volunt, qui verum cognoſcere nequeunt, cæcis animum perturbati affectibus, dolore potiſsimũ, & inuidia. quorum illud ægrorum morientium plerunq. tangere ſolet affines, & amicos; hæc artis ſocios. Hactenus de cauſsis Mortis, & Curatione vulnerum capitis. Non defuturos tamẽ quoſdã arbitramur, qui in ſua peruicacia, vel imperitia, vel vtriſque, perſiſtentes, capite vulneratos interire malint; quam à falſis dogmatibus ab ignaris Præceptoribus hauſtis, vel veris præceptis ab eis male intellectis, diſcedere: licet eos ſi non ratio, ſaltem magiſtra rerum experientia, veritatem ſatis docere poſſit; & non omnem culpam Mortis vulneratorum in capite, aeri, vel cæleſti influxui, tribuendam eſſe; ſed potius, maiori ex parte, malo medendi vſui. a quo, ſi diſcedere placuerit, aerem, vt ipſi aiunt, eiuſcemodi capitis læſionibus, de quibus egimus, inimicum non eſſe; & cæleſtem influxum in melius mutatum inuenient.

CAP.

CAP. XXXVI.

QVoniam vero de cranei perforatione egimus, rationi etiam conſonum videtur, vt aliqua de medicamentis ſtatim denudatæ mẽbranæ applicandis dicamus; & eo magis, quia Gal. ipſe in hoc nõ ſatis ſibimet conſtare fortaſſe appareat, cum modo lenientia, modo ſiccantia remedia proponat. in lib. n. 6. meth. med. c. 6. cuius finem mutilum cenſet Carpen. ſiccantia lenientibus præfert; in alijs vero libris e contrario lenientia ſiccantibus anteponit. ex quorũ locorũ varietate, errandi anſa Medicis rem non exactius cõſiderantibus, præcipue vero tyronibus, aliquando dari poſſet, magno cum mortalium damno. Vt igitur publicæ ſaluti conſulamus antequam huic libello finem imponamus, ad hoc accedere operæpretium eſt; vel obid maxime, ꝙ quidam ſtatim facta perforatione ſiccantibus propterea vtendum eſſe contendunt, quia non exigua cauſſa mortis uſui lenientium, in capit. vulneribus ſit attribuenda. quorum ſententiã, vt ex inferius dicendis patebit, quamuis aliquam ueritatem præ ſe ferat; non tamen oĩno probare poſſum. Duo. n. ſunt, quibus vulnera infeſtari ſolent. ſ. ſanguinis profluuiũ,

Cap. de formis ferra.

Duo sũt phibenda in vulneribus capitis 1 sanguinis fluxum, 2 inflammationẽ.

& inflãmatio, ex quibus inflãmatio ipſa frequentius p̃cipue in vulnerib. capitis periculum afferre ſolet. Vt igitur eam arcerent, & euitarẽt Medici, plurima excogitarunt, victum tenuem, phlebotomiã, hirudines, cucurbitulas, frictiones, uincula, purgationes, clyſteres, aliaq. huiuſmodi, quæ fluxionem, & inflammationis cauſſam à capite auerterent. Vulneri vero ipſi nulla calida & aeria principio imponi voluerunt, procurantes potius, vt quo citius fieri poteſt, pus moueretur, ut docuit præcipue diuinus Hipp. in his uerbis, inquiẽs: Danda opera eſt, vt vlcus quam celerrime ſuppuret. hoc. n. pacto, quæ iuxta ſunt, inflammari non poterunt, ipſumq. purum quamcelerrime efficietur. Neceſſe eſt. n. laceratam, colliſamq. à telo carnem, in pus verſam tabeſcere. Poſtquam purgata erit ſiccari vlcus debet. nã ſic mature admodum vlcus ſaneſcet; & caro non humida, ſed ſicca producetur. ſic etiam in vlcere caro minime ſupercreſcet. Idem quoque reſpondet in membrana, quæ cerebrum tegit. nam ſi os protinus & ſecetur, & patefacta membrana, detrahatur, hæc quamcelerrime purganda eſt, & ſiccanda. nam ſic mature admodum vlcus ſaneſcet, & caro non humida, ſed ſicca pro- obiectio. *ducetur. ſed quia Hipp. cum de carnis curatione loquitur, clare inquit, celerrime vlcus cap. ad ſuppurationẽ ducendum; nunc vero de membrana ipſa agens, q̃uis*

idem

idem in curatione eius, quod etiam in carnis curatione reſpondere dicat, ſolummodo tamen de purgatione & ſiccatione ipſius membranæ verba facit: ideo quis dicere poſſet, quamuis idem reſpondere dicat in membrana, quod etiam in carnis curatione; tamen, cum de illa loquitur, ſolummodo ad purgationem ſiue deterſionem, & ſiccationem reſpicere videtur; non autem ad ſuppurationem. ſi.n. etiam membranam ſuppurandam voluiſset, hanc quoque cum purgatione & ſiccatione connumeraſſet, vt & antea fecit, cum de carnis curatione loqueretur. Huic obiectioni ni fallor ſic ſatisfacere debemus. Responsio Hipp. cum de medicamē. craſſæ menyngi applicandis agit, pus mouentia ſilentio preteriiſſe, non quia ſemper & perpetuo pus mouentia excludēda ſint à curatione mēbranæ (hoc.n. manifeſte falſum;) ſed quia quandoq. in hmōi cap. vulneribus læſa, & quandoque illæſa membrana ipſa reperiri poteſt. lædi.n. varie poteſt membrana; modo ab inſtrumento contundente; modo incidente; modo diuellente; modo & (preter alia infinita) ab aere frigido. Quocunque igitur modo lædatur, ſiue contuſionem eo modo quo contūdi poteſt patiatur, ſiue quouis alio modo violetur membrana, dubio procul lenienda, vt ſcilicet dolor mulceatur; humores ad ipſam fluentes repellātur; & ſiqui influxere concoquantur, & diſcutiantur. Si vero ea illæſa oīno

reperitur, & vulneratus boni temperamenti; nec cacoc-mus, aut plethoricus, ſiccantia admoueri poſſunt. Ceterum, quando eam ita illæſam, hominemq. noſtris hiſce temporibus adeo bene temperatum, boniq. ſucci reperies, vt ſiccantia ipſi membranę tuto applicare poſſis? Neſcio enim, an omnes hę conditiones in vno eodemq. homine ſimul actu apud nos reperiantur: & ſi eas in vno eodemq. homine reperire poſſe non diffitear. In has.n. reſpexiſſe putandus eſt Hipp. cum de medicamentis nuper denudatę mēbranę applicandis agens, prius inquit idem reſpondere in membranæ, quod etiā carnis curatione: poſtea vero ſolummodo detergentia & ſiccantia commemorat. Si enim ſtatim patefacta membrana perpetuo pus mouendum dixiſſet, aut perpetuo detergendum, & ſiccandum pręcepiſſet, eius ſententia digna reprehēſione iure merito videri potuiſſet. quoniam aliquando accidere poteſt, vt membrana cum primum patefacta eſt, illæſa omnino reperiatur: & in hoc caſu ex ratione non pus mouendū videretur, ſicuti e contra, cum fere ſemper aliquo pacto & noxam detecta patiatur, pus potius eſſe mouendū innuit Hipp. inquiens, idem in membranæ, quod etiam in carnis curatione reſpondere. Si.n. operam dabimus, vt membrana celerrime ſuppuret, hoc pacto ipſa, & quæ illi iuxta ſunt, inflammari non adeo facile poterunt; eaque celerrime

rime pura efficietur. Quare tria non paruifacienda ſequentur. primum id eſt, quia ſic procedentes, inflãmationem arcebimus, abſceſſus, ſpaſmata, & mortem: ſecundum eſt, celer ipſius membranæ puritas, ſiue deterſio: tertium, ſanitatis tutela, & præſeruatio. quibus omnibus potiſſimum, nõ ſolum in capitis vulneribus curandis, verum etiam in omnibus alijs ſuis operationibus Medicus intentus eſſe debet. conſultius ergo ſemper agemus, ſi, cum primum membrana patefacta eſt, lenientibus vtamur; præcipue autem cum membrana craneo adnexa reperitur, vt in ſimplici colliſione, & rima. tunc.n. humores in motu ponuntur, ac dolor excitatur. vnde ad affectam partem ruunt. quare hos humores in parte læſa exſtantes, multo tutius eſt in pus vertere, quam diſcutere. ab ijs.n. quę pus mouent, multo minus vlcus inflammatione tentatur, ſi quamcelerrime ipſum moueas. Neque Megetis, vel Eudemi more, ſtatim poſt membranæ denudationem Iſim, aut oxymeli membranæ admouebimus. hos.n. neque Gal. ipſe ſequi auſus eſt: immo Romanorũ morem ſecutus, olei roſ. omphacini vſum miris laudibus extollens inquit: Melius inuenire nihil poßis in capite perforato, quam vt roſaceo probo vtare. probum vero roſaceum, ex oleo omotribe.i. immaturo, ſine ſale parato, in quo plurimæ roſæ maceratæ fuerint, conficere

in principio ponas oleũ ros.

re

re docet. Immaturum autem oleum minus, maturo calefacit, & magis adſtringit. cuius adhuc calorem, ſi quis adeſt, roſæ refrangunt, illi maiorem adſtrictionẽ addentes. vnde Rhodinum à roſa vim nanciſcitur roborandi, ſiccandi, reſoluendi; non autem humectandi, ſaltem humectatione madefaciente. id quod non ignobilis Arabs Medicus, ni decipior, etiam teſtatum reliquit, quamuis oleum ipſum roſ. ab oleo ipſo humectandi facultatem euidenter habeat. hoc autem oleum inflammationem non modo cohibet, ſed etiam exſtinguit id quod etiam excellentius explet, dolorem mulcendo, qui fluxionis, phlegmonesq. maxima eſt cauſſa. hoc tamen perpetuo vti non expedit; ſed vſque dum inflãmationis periculum adeſt. Ceſsat autem metus inflammationis ex Hipp. cum primum bonum pus incipit apparere. tuncq. vlcus maiorẽ & euidentẽ ſiccationem poſtulat: eoq. modo mature admodum vlcus ſaneſcit, & caro nõ humida, ſed ſicca producitur. Hoc autem præſtamus, ipſi oleo ſiccantia, & detergentia immiſcendo, prout oculato chirurgo expedire videbitur; poſtmodumq. oleum derelinquendo, & ad ſicciora cephalica appellata, quæ temperiem partis magis reſpiciant, vulnusq. carne expleant, tranſeundo. Quemadmodum .n. ſiccantia intempeſtiue adhibita, membranæ inflammationem parere poſſunt; ſic & lenientium nimius

mius

mius vſus, carnem mollem ac hebetē parere, ſubiectæq. mēbranę temperiem corrūpere ſolet. ideo vltra debitū tempus, oleo non eſt vtendum. & quamuis Gal. dicat, puro oleo magis humectare roſaceum ipſum; ea tamen humectatio, temperiei membranæ denudatæ, non officit. idque ſano modo intelligendum, & in eo ſenſu de quo ipſe Gal. loquitur, in eodem loco ſeipſum declarans. quia roſaceum ex qualitate qua præditum eſt, modice adſtringente, & tenuitate partium, cum tepiditate adiuncta, magis penetrare, & penitiores partes ſubire valet, actionemq. ſuam magis imprimere, adſtrictione veluti impellente. quo fit, vt poſsimus dicere id magis humectare, eo quod altius permeet, ſubeatq. partes penitiores, quam oleum ſimplex. hoc.n. licet vere laxet & humectet multo magis ceteris paribus, quam rhodinum, quia tamen in ſuperficie, puta corij, de quo loquitur Gal. manet, ob craſsitiem partium, & adſtrictionis priuationem altiores partes ſubire non valens minus humectare videtur. non.n. agere poteſt in partē quam tangere nequit. quare tm̄ abeſt, vt Rhodinum tēperiem mēbranæ denudatæ hebetē reddere poſſit; vt potius aliqua ui ſiccandi, & adſtringendi, quam habet à roſa, & olei immaturitate, ſic maius robur addat. quod non ita fieri facile poſſet, niſi roſaceum etiam magnam penetrandi vim obtineret. cuius penetrationis

ra-

ratione humectandi vim habet, vt oleum; non autem partes madefaciendi, vt aqua, & laxandi, hebetesq. partes reddendi: ſed contra eas adſtringendo roborat. pars vero roborata, humores ad ipſam fluentes repellit, & ſi qui in ea remanent, cõcoquit, & diſcutit. Et quamuis Gal. laudet Eudemum Iſide & oxymelite vtẽtem in capitis vulneribus; magis q̃ ij, qui blandis medicamentis curabant: hoc tamen de hoĩbus etiam, & non de ſolis medicamentis, quibus illi vtebantur, intelligendũ ſiquidẽ id potius in eorũ maximã peritiã referendum. ait.n. Gal. Eudemum fuiſſe ſenem; & in hac artis parte ſatis exercitatum. vulnerati.n. omnes, nedum in capite, ob ſolam Medici culpam interire dicendi nõ ſunt. quia medendi ratio, præter Medici perſonam, non qualitate ſola, ſed quantitate etiam remedij, & vtendi modo perficitur. vnde vulneratorũ interitus, ſicuti non ſemper, ſed quandoq. ad ſolam medicamẽti qualitatem, præter alias cauſſas, reduci põt; ita e contrario ſanitas ſequitur plures concurrentes cauſſas, & non vnam ſolam. Quare non eſt inferendũ. Eudemus, plures in capite vulneratos Iſide, & oxymelite ſanabat, ergo propter naturam horum medicamentorum primum ſanitati reſtituebãtur. plura.n. valent ad conſtruendum, (aiunt logici;) et vnum ſufficit ad deſtruendũ. Eo quoq; argumento, quod deſumitur

à ſan-

à ſanguine columbæ, vſus lenientium præſtare ſemper viſus eſt. quod Gal. oleum roſ. ſanguini columbæ ſubſtituit. cuius vices excellentius explere aſſerit. Atqui vsū ſanguinis columbæ per totam fere Aſiam ſtatim poſt perforationem inualuiſſe inquit. Si igitur tota fere Aſia ſanguine columbę vtebatur: ergo reſtat, vt pauci eſſent, qui ſiccantibus ſtatim poſt perforationem vterentur. Rurſus reddens rationem Gal. cur aliquando iuxta Apollonij ſententiam in eiuſcemodi vulneribus cranei roſaceo acetum permiſceret, inquit: In illis, quibus oſſiculum aliquod exciditur, roſaceo leniter tepefacto vti conſueuerunt. ex quibus Gal. verbis luce meridiana clarius non vſum ſiccantium, ſed lenientiū nempe ipſius roſacei, ſtatim poſtquam membrana detecta eſt, ſuper ipſam probari conſpicitur, non Romæ tantum, ſed apud Aſiaticos etiam. Quare neque nos hanc viam medendi relinquendam putamus, qua vbique gentium noſtris temporibus Chirurgi vtuntur, nullo q́ ſciam eam improbante: omnibus vero ſuffragantibus, ratione, experimento, longoq. omnium vſu, & auctoritate. quin potius valere iubebimus alterā, quam verbotenus ſiccantium memini, tum ob dictas rationes, tum etiam ob eius incertitudinem, quando nemo adhuc certam vſuq. probatam eiuſcemodi medicamentorū ſeriem exacte diſtinctam ſcriptis reliquerit,

columbę ſanguis.

R præ-

præter ea pauca, & incerta, quæ proponuntur à Gal. Fallop. & neſcio quodam alio, vno, aut altero. Quod ſi per viam lenientium ambulare nouerimus, non amethodorum more, proculdubio nobis decus ac vtile; vulneratis vero ſanitatem, qua in mundo nil commodius, vel præſtantius, comparabimus. Si.n. ſiccantibus vti præſtaret, etiam ſimia Gal. Paullus ita dictus, qui eum fere in omnibus ſecutus eſt, id feciſſet: qui è contrario lenientia proponens, amplectensq. ſiccantia ſilentio præterijt. ſicut & alij Greci omnes. quos infiniti propemodum, doctiſſimi, illuſtresq. viri, & de re Medica optime meriti, imitati ſunt, non ſolum lenientibus vſi, & adhuc vtentes, ſed etiam eorum vſum, valere iuſsis ſiccantibus, ſcriptis commẽdantes. Quod ſi qui ex veteribus quandoq. ſiccantibus vſi videntur, non id nos ſuadet, vt in his tantum perſiſtamus lenientia poſtponentes: cum quidam ex ijs, illis relictis, ad lenientia poſtea ſe conuerterint, tamquam meliore, & vniuerſa Medicorum ſchola, vno fortaſſe, aut altero excepto, ita ſolis perſtiterint lenientibus ne nominatis quidem ſiccantibus. Quorum rationibus, & auctoritatibus, & vnanimem conſenſum, feliciſsimo ægrotantium ſucceſſu per longa ſæcula comprobatum, Ipſe quoque vna cum Clariſſ. & Excell. meis præceptoribus ſemper ſequar. quorum vnus longe clariſ=

riſ=

